



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



# ARTICOLI 1149

...  
...  
...  
...  
...

...

...

...

...

...

REGIS CHRISTIANISSIMI  
LVDOVICI MAGNI  
CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

DOMINO

IO. BAPTISTAE

DE KLINGLIN

REGIO

IN INCLYTA ARGENTORATENSIVM CIVITATE

PRAETORI

ET

PROTECTORI ACADEMIAE  
PATRIAE GRATIOSISSIMO

HEROI IN TOGA

PATRI PATRIAE

IIVSTITIAE PRAESIDI

QVAQVA VERSVM MAGNO ET IMMORTALI  
CVM LAVDE PROMERITO

SACRVM



PERILLVSTRIS AC GENEROSISSI-  
ME DOMINE,  
PATRONE SVMME,

**Q**Vem, non sine provida Benignissimi Numinis. per tot retro annos in Urbem Patriam cura, REX CHRISTIANISSIMVS et MONARCHA GALLIARVM MAXIMVS, ob singularem rerum publicarum prudentiam, et exquisitissimum tot tantarumque Virtutum exemplum, ad CONSILIARII REGII, fastigium, et summam splendidissimamque PRAETORIS ARGENTORATENSIS dignitatem, elegit, electum evexit, evectumque REGIA profus GRATIA indies maiori complectitur, ad EVM levidentes hae pagellae, TANTO sese iactitantes NOMINE, publice accedere audent. Vereor autem, ne hoc me nomine in impudentiae pariter, ac arrogantiae, suspensionem non nulli vocent, qui nec TVAE, PERILLVSTRIS ac GENEROSISSIME DOMINE PRAETOR REGIE, dignitatis, quae profecto

Et o summa est, nec meae adeo conditionis, sim memor. At enim vero, licet non sine temeritatis metu, TE, MAXIME HEROS, alloquar, spes me tamen certa tenet, fore, ut conatum hunc meum pro solenni illa Humanitate TVA, quam universi non solum Argentoratenses, sed externi quoque homines, venerantur, extollunt et admirantur, benigne interpreteris. Sane haud ex alia, quam Pietatis, lege suum haec audacia ducit ortum, qua in PERILLVSTRE EXCELLENTISSIMVMQVE TVVM ILLVD NOMEN, quod mihi ceterisque clientibus TVIS, quae Divini Bonitas est Numinis, in studiorum singulare quoddam solatium datum est donatumque, mirifica quadam animi voluptate feror, iucundissimoque rapior stupore. Sive enim TVA, PERILLVSTRIS ac GENEROSISSIME HEROS, insignia merita, quibus me indignum licet, in Patria benignissime exornasti, mente animoque memori recolam, sive constantem TVAM apud exteros quoque Gratiam

reputem mecum ac revolvam, non pos-  
sum, quin monumentum hoc obsequen-  
tissimae voluntatis meae, ponam in pu-  
blica luce, atque ita aeternam erga TE, PER  
ILLVSTRIS HEROS, mentis et animi demissio-  
nem domi forisque contester. Neque, in-  
conveniens argumentum hoc esse, arbi-  
tror, de *lure N.* inscriptum, quod PERILLV-  
STRI NOMINI TVO consecretur, cum in  
TE, MAECENAS INDVLGENTISSIME, Argentor-  
atum habeat IUSTITIAE PRAESIDEM SUM-  
MVM, quo aequiorem gratioremque nec  
votis precibusque ab summo Rerum Ar-  
bitro exoptere possit et expectare. Quos  
enim sub Tvo illustri felicissimoque RE-  
GIMINE inclyta Patria non canit triumphos?  
Quot saluberrima universus civium coe-  
tus non experitur consilia? quando in re-  
bus dubiis arduisque ad PERILLVSTREM  
EXCELLENTIAM TVAM, tanquam ad cer-  
tissimum Prudentiae Oraculum, acce-  
dunt, nec unquam, nisi rationibus iuris,  
de gravitate et Prudentia inter se certan-  
tibus

tibus, instructi, laeto semper animo recedunt. Quas, PERILLVSTRIS DOMINE, Virtutes TVAS excellentissimas dum secum Academia Argentoratensis perpendit, non potest non, de TANTO MV SARVM PROTECTORE, ac PATRONE, sibi quoque gratulari, quod in SUPREMO Alsatici Parnassi DVCE, EVM veneretur, qui non literas tantum bonas literatosque amat, sed et ipse eruditione excellenti ac prorsus exquisita conspicuus est et exornatus. Certe ita, PERILLVSTRIS HEROS, in celebrandae Iustitiae atque Eruditionis splendore vivis, TVORVMQVE memoriam Meritorum TIBI condidit immortalem, quae cum pro dignitate praedicare satis et admirari nequeam, da, quae so, PATRONE SVMME, veniam, quod, tacere satius esse, putem, quam rudi stylo gloriam MAGNI NOMINIS TVI illustrare dicam, an obfuscare. Quod vero a me, clientum infimo, Pietas exsolcit, id TIBI, MAECENAS INDVLGENTISSIME, sancta persolvo fide. Servet immortale Numen

Te.

TE, OPTIME MAXIMÈQVE HEROVM, in Civitatis aequae, ac Patriae Academiae gaudium solatiumque, quam diutissime florentem, et ab omni calamitate liberum cum Tota GENTE GENEROSISSIMA servet, quo in TE, PERILLVSTRIS HEROS, GENEROSISSIMISQVE HEREDIBVS TVIS, FRANCISCO IOSEPHO et CHRISTOPHORO, in quibus TVA Virtutum Imago viva iam cernitur expressa, habeat Allatia, habeat Argentoratum, perenne ornamentum praesidiumque, quo nunquam non delectari queat.

PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIMI  
TVINOMINIS,  
EXCELSAEQVE VIRTVTIS TVAE.

Dabam Vitembergae Saxonum,  
Mense Martio, A. C. MDCCLXIX

admirator aeternus,

et

obsequentissima parendi lege  
cliens

M. IO. IACOBVS FERBERVS, ARGENT.  
SS. THEOL. CAND. ET AMPLISS. ORD.  
PHIL. VITEMB. ASSESSOR.

Sic

**S**ic, quem Liligeri satiarunt flumina  
Rheni,  
Nunc demum Albiacae Te capit ar-  
dor aquae?

Scilicet ex uario quaeruntur dulcia gustu,  
Largior ad lautum poscitur unda cibū.  
Sic Tua, quam praebes Lectori, coena pla-  
cebit,  
Praemiaque hinc docto digna labore  
feres.

Sic  
Præcellentiſſimo Viro,  
Fautori et Conuiſtori ſuo Suauiſſimo,  
applaudebat

**Ioan. Georg. Neumannus,**

D. et P. P. Templi O O S. S. Praepoditus et Conſiſt. Eccleſiaſt. Aſſeſſor.

**F**ERBERO non Iura ſilent, non Mar-  
tia deſunt  
Arma, repurgatis utraque iungit agris,  
Pergat Idem doctis recte impalleſcere  
chartis,

Certanti palmam Patria iure dabit.

Doctiſſimo Auctori et fautori ſuo amando  
gratulab. ſcrib.

**Val. Ern. Loeſcherus,**

S. Th. D. P. P. Vittemberg.

(o)

Naturae

**N**aturae genium, et communia iura,  
resoluis,  
Et, quibus emanent fontibus orta, do-  
ces.

Ecquid erit pretii? pretium tibi fama re-  
pendet,  
Et Patriae, reducem qui manet, am-  
plus honor.

Spectatae doctrinae Viro  
incrementum dignitatis gratulatur

**Io. Guilelmus Bergerus, P. P.**

**V I R O**

Praecellentissimo Amplissimoque,

**DN. M. IO. IACOBO FERBERO,**

Argentoratensi, S. S. Theologiae Candidato dignissimo, inluto  
Ordini Philosophorum Vitemberg. Ascripto meritissimo,  
Fautori et Collegae suo Honorando,

S. P. D.

**Henr. Leonardus Schurzfleischius, D.**

Historiarum P.P. Consiliarius Vinariensis, et Bibliothecae Director.

**S**Aepe multumque recordor amici-  
tiae, quae Tibi cum Divo Fratre meo  
inter-

intercesse, cuius memoria, sicut animo meo nunquam excidet, sic ad omnia honoris officia Tibi prompto libentique animo praestanda, me invitat. Mallem quidem, fecisset Deus immortalis, ut Frater ipse voluntatem erga Te tuam, *Prae-cellentissime Vir*, hodierno die testificari, gratulandique in praesentia munere perfungi, posset, sed tristissimus Viri obitus, qui omnium citius opinione accidit, has mihi vices reliquit. Quas ego ne vel neglexisse, vel meo ipsius officio videar defuisse, haud possum facere, quin cum frequenti bene precantium coetu me coniungam. Vix unum perfeceras opus, summaque cum laude defenderas, cum novum ingenii monumentum foecundissimi instituisti, moxque, reversus in campum laudis plenum, alios post alios doctissimos iuvenes in aciem eruditam eduxisti. Nihil dicam, quam egregie docendi partes apud nos administraveris,



gravissimosque varii argumenti scriptores  
sis interpretatus, viamque explicandi  
aliis commonstraris. Peropportune ve-  
nit mihi in mentem recordari Senecae,  
bene sapienterque pronuntiantis, Athle-  
tam non esse, qui non pugnavit in arena,  
qui non probavit adversarii vires. Quam  
gravem sapientissimi doctoris morum  
sententiam haud ultimo habuisti loco, sed  
diligentia singulari consecutus es, saepi-  
usque virium tuarum fecisti periculum,  
rationumque argumentis depugnasti, ut  
non modo partes tuas praeclare gesseris,  
sed et, Te in arena disputantium Athletae  
acerrimi munia sustinere posse, conten-  
tione industriae prorsus exquisitae de-  
clararis. Atque haec doctrinae ornamen-  
ta, ab natura et arte tributa, perpetua  
Tibi, *Vir Amplissime*, esse cupio, quae cum  
quotidie, et hoc in primis praeclaro  
specimine, de *lure naturae* incripto, lu-  
culenter augeas, non dubito, fore, quin  
pro-

propediem dignissimam avatae diligentiae  
fructus abunde Tibi consent, idque hoc  
magis auguror ac spero, quo plus intelli-  
gunt Illustres Patriae Proceres, quos in-  
ter primo loco celebras Virum Perillu-  
strem ac Generosissimum, Dominum DE  
KLINGLIN, Praetorem ac Consiliarium  
REGIUM Splendidissimum, et Academiae  
Protectorem maxime strenuum, Patronū  
Tuum Gratiolissimum, Te ad decus et or-  
namentum Patriae augendum omnia Tua  
consilia referre. Quare divinum praepo-  
tensque Numen votis precibusque obte-  
stor, ut consiliis Tuis, quorum ratio in eo  
posita est, ut cum decus studiis, tum splen-  
dor Reipublicae, accedat, propitium sit,  
Teque in Patriam, magnorum altricem  
ingeniorum Urbem, salvum ac sospitem  
reducatur, et cuncta ex animi sententia iu-  
beat evenire. Vitembergae Saxonum, pri-  
die Kalendas Martias, A. cl. lxxxix.

Clarissimo ac Praecellentissimo  
DN. AVCTORI,  
Fautori, Amico, et Collegae suo  
honoratissimo

S. P. Q.

Henr. Clausing!

Mor. P. P.

**Q**uod de I. N. inscribitur argumen-  
tum, *Clarissime Vir*, etiam si Disci-  
plinam peculiarem non constituat,  
opponendam Disciplinae de Officiis  
hominum, quam Philosophiam Moralem  
nominamus, partem enim aliquam Ethic-  
es tantum exhaurit; dignum tamen esse  
merito putatur, quod Tractatione qua-  
dam peculiari seorsim investigetur, ac, li-  
bris aliquot perscriptis, identidem enu-  
cleetur. Fecerunt illud post Grotium  
tot Viri summi, tantoque cum ingenii et  
do-

doctrinae apparatu, ut toto, qua patet, li-  
terarum orbe celebrentur. Tibi itaque  
vel hoc nomine magnopere congratulor,  
quod tot doctissimorum hominum ve-  
stigia non premas solum leniter ad exigui  
praedicationem temporis, sed figas quasi  
ad memoriam omnium sempiternam. De-  
us immortalis industriae Tibi et virtutis et  
doctrinae praemia, in Patria florentissima  
iam dudum praeparata, servat, iamque  
eminus ostendit, ut adventanti ac prome-  
renti propediem distribuantur. Age i-  
gitur, et fastigium honoris, ad quod con-  
tendis, feliciter transcende: sic magno eris  
olim et ornamento Reipubl. literariae, et  
Ecclesiae emolumento maximo. Vale!  
Dabam Vitembergae, VI. Kal. Martias,  
A. MDCCIX.

Quam-

**Q**uamvis nulla tuum nostrae praeco-  
 nia Musae  
 Tot meritis partum poscat, AMI-  
 CE, decus;  
 Omnibus et pleno uiribus spectata thea-  
 tro,  
 Discussis tenebris, luceat ipsa sibi:  
 Metamen officium, nova dum Tibi semi-  
 na laudum  
 Crescunt, cum plausu iungere uota  
 iubet:  
 Surgas ingenio, patriae nova gloria terrae,  
 Et magnum docto nomen in orbe feras!

Collegae, Conuictori atque Amico suo, in paucis  
 charo aestimatoque, novo ingenii mo-  
 numento inclarescenti,

*l. m. q.*

gratulatur

**M. Io. Guilelmus Ianus,**  
 S.S. Theol. Cand. et Ord. Phil. Adiunctus

**PRAE.**



abest, ut antiquitati hanc adscribam  
 dignitatem, ut potius nostra tempo-  
 ra hac in parte feliciora mecum repu-  
 tem. Saepe enim animum meum sub-  
 it admiratio, Doctrinae Juris Nat.  
 Nobilissimae pariter ac Utilissimae,  
 quae merito virtutum et omnis hone-  
 statis fundamentum, totiusque Phi-  
 losophiae Practicae supplementum  
 salutatur, minime tamen principalem  
 dignumque in Ethica, vel Politica, iam  
 olim assignatum esse locum, sed vel  
 penitus studium hoc neglectum, vel  
 negligentius certe pertractatum.  
 Cuius rei sane alia nulla videtur ratio  
 esse, nisi magna illa superstitio, qua  
 multi in Moralia Aristotelis mirum in  
 modum terebantur, ut religioni sibi  
 duxissent, vel latum ab Aristotele re-  
 cedere unquam. Sed, uti dolendum  
 id

id est, ita summopere laudari merentur illi, qui, subsequenter temporibus, opere ipso demonstrarunt, quanti faciant libertatem, et quam longe ab hoc remotos se agnoscant jugo. Non quidem diffidendum est, Aristotelem egregie tradidisse moralia, ut vel ingrati notam incurreret, qui id pernegaret, sed perfectionis gradum summum in doctrina Morali ipsum attigisse, nisi ignarus scriptorum Moralium Aristotelicorum, defendendum in se non suscipit. Notum enim est sedulo Peripateticae Philosophiae Lectori, quod parum sollicitus fuerit Aristoteles de doctrina officiorum hominis erga Deum, quam fere plane & plene neglexit, cum tamen nobilissimam Juris Naturalis constituat partem



tem, ac proinde diligentem exposcat  
operam, praesertim ab iis, qui sibi de  
Christiano Nomine gratulantur.  
Non minus, quae homo homini de-  
bet, officia Philosophus silentio prae-  
terit, et, si quaedam in eius scriptis ha-  
bentur, pauca illa sunt, nec appellatione  
digna solidi sufficientisq; examinis.  
Quare in feliciora aetas nostra incidit  
tempora, quibus nobilissimam Iu-  
ris Naturae doctrinam egregie ac  
magno cum fructu excultam conspi-  
cere licet. Quot enim eruditionis  
lumina felicesq; Iuris Naturalis Scri-  
ptores non vidit proxime elapsum se-  
culum? Sane ter quaterque felix  
illud hoc nomine dici meretur. Ac  
ut a primo exordiat, qui naturalia iu-  
ra a positivis accurate distinxit, illaq;  
in pleni Systematis formam redegit,  
certe

certe omnibus palmam praeripit  
 HUGO GROTIUS, natione Batavus,  
 religione vero Reformatus, Cui  
 banc personam a Deo impositam,  
 ad ornanda ea studia, quae ab in-  
 stauratis Lateris segnius & jenu-  
 rnius procedebant, facile Celeber-  
 rimo BOECLERO in Praefat.  
 Comment. ad Lect. credo. Incom-  
 parabile nanique audit opus illud,  
 quod contempit de Jure Belli &  
 Pacis, in quo, notante, Illustri  
 RYFENDORFIO, Eridis Scand. p. 172,  
 nulla priorum vestigia ipsum re-  
 gebant, admiranda instructum  
 ingenio

ingenii & iudicii felicitate, pari  
 scientia literarum sacrarum, Ju-  
 ris Civilis, omnigenaeque eruditio-  
 nis & infinita lectione. Vtinam  
 vero munus hoc suum in tam prae-  
 claro opere executus fuisset sine he-  
 terodoxia, quod pium est votum D.  
 ALBERTI in *Comp. Jur. Nat. Orb.*  
*Theol. conform. Praef. ad Lect.*  
 pag. 17. Cum negari non possit,  
 quod ad illos proxime accedat, qui  
 Arminianorum nomine veniunt,  
 quorum hypotheses heterodoxas  
 passim fovet, ut non raro velut aper-  
 tus loquatur Arminianus, qua nota et  
 iam a Summis Viris, qui in Opus Gro-  
 tianum commentati sunt, quos inter  
 BOEGLERVS, ZIEGLERVS, OSIANDER, prae-  
 ci-

cipui numerantur, insignitus est. Post  
GROTIUM inter insignes Juris Naturae  
Scriptores referri meretur IOAN-  
NES SELDENUS, illud Angliae Decus at-  
que Sidus, Vir GROTIUS *αὐτοχρονος*,  
qui, *Celeberrimi PUFENDORFI* iudicio  
*in Praefatione Oper. ad Lect. de*  
*mini fortasse secundus haberi pos-*  
*set, si ei propositum fuisset, eadem*  
*ἀκριβεία Jus Naturae ad universum*  
*humanum genus, quam ad tradi-*  
*ta Hebraeorum, accommodare.*  
Honestam admodum Libri ejus *de*  
*Jure Naturae & Gentium* produnt ad-  
versus Grotium aemulationem, qua  
hinc inde usus est. Huic Maxi-  
morum Virorum Pari successit THO-  
MAS HOBBSIVS, etiam Anglus, Vir ma-  
gno

gno ingenii acumine praestans, qui,  
 teste *Celeberrimo P. VENDORFIO E-*  
*ridis Scand. p. 173, §. 6,* uti ipse  
*Studis Mathematicis innutritus*  
*erat, ita & sine Baudei demonstrandi,*  
*Mathematicis usitatam, doctri-*  
*nae morali accommodare labora-*  
*vit. Cui finem etiam certam do-*  
*ctrinae suae hypotbesin substravit,*  
*in quam ultimo demum demon-*  
*strationes resolverentur. An im-*  
 vero, quicquid sit in accurato HOB-  
 BESI demonstrationis processu, sane  
 pestilentissimos ille fovit errores, qui  
 non solum cum Scriptura, sed recta  
 etiam ratione, crasse pugnant. Ut  
 enim paucis perverissimam eius at-  
 tin-

tingam hypotheseſin, quae *Bellum omnium ad verſus omnes* audit, atq; in eo bello *Ius omnium in omnia*, certe illa totum doctrinae Moralis fundamentum evertit, quae minime eiusmodi iniquiſſimam licentiam, turpemque libidinem permittit, juxta quam cuiſvis pro lubitu facere quodvis licet, ſed potius illa mutuam intendit Benevolentiam, quae egregie humanae ſocietati reſpondet. Ut proinde mirum non ſit, impia plane ac falla eſſe, illa quae hypothefi huic ſuperſtructa ſunt, cum aliter eſſe nequeat, quam ut venenata ex impuro fonte dimanent. Quamobrem multi operae pretium duxerunt, periculofa haec HOBBSII dogmata ſub eruditum revocare examen, eaque di-

B

gna

gna notare censura atque correctio-  
 ne, inter quos *Illustris* PVFENDOR-  
 FIVS, *Erid. Scand. p. 174. §. 6.* RI-  
 CHARDVM COMBERLANDVM numerat,  
 qui in libro Erudito, *de Legibus Na-*  
*turae* Hobbefianam hanc hypothefin  
 inter Anglos folidiffime destruxit.  
 Feliciorem Iuri Naturali operam  
 impendit Vir faepius iam laudatus,  
 SAMVEL PVFENDORFIVS, in egregio  
 opere, cui titulus *de Iure Naturae*  
*et Gentium*, digno sane, quod in lu-  
 cem editum, eruditoque orbi com-  
 municatum fit, cum infinitae uti-  
 litatis audiat opus, ac talia in eo tra-  
 ctentur, quae non folum fingulis Vi-  
 ris

ris Politicis summopere, et placent, et profunt, sed integris etiam Rebus publicis egregie inserviunt, ut proinde insignes eius libros, quos vel de Iure conscripsit, vel historici sunt argumenti, Eruditorum quisque exosculetur. Quantumcunque vero Viri huius fama literatis cordi fit, nullus tamen non fateri debet veritatis aestimator, ipsum et humani quid passum esse, quae misera hominum, Magnorum etiam, conditio est, ut nemo ab omni parte sit beatus, & ab erroribus liber. In hoc enim non parum errasse videtur Vir Celeberrimus, quod Iuris Naturalis centrum in socialitate posue-



fuerit, ad quam praecipue in nitidissimo suo opere subinde respexit, religionemque naturalem eatenus solum a Iure Naturae exigi, statuerit, quatenus societatis humanae vinculum existat, insuper habita hominis erga Deum, etiamsi nulla daretur societas, obligatione: cum tamen res ipsa loquatur, hominem non solum ad societatem cum proximo colendam ab Optimo Creatore conditum esse, sed in primis, ut debito Summum Numen prosequatur cultu, in quo primarius religionis naturalis finis consistit, minime vero in societate Politica, eiusque commodo, quandoquidem hic finis tantum secundarius est, et ex priori fluit.

fuit. Ut nunc de aliis eius opinionibus, non usq; quaq; firmis, taceam, ob quas, et suos in magna copia nactus est adversarios, videlicet NICOLAVM BECKMANNVM, IOSVAM SCHWARTZIVM, PETRVM WINSTRUVIVM, IO. ADAMVM SCHERTZERVM, FRIDERICVM GESENVIM, VALENTINVM VELTHEMIVM, IO. IOACHIMVM ZENTGRAVIVM, VALENTINVM ALBERTVM, SAMVELEM STRUMESIVM, aliosq;, quibus vero singulis in Eride Scandinica peculiaribus respondit scriptis: de quib9 iudiciũ sit penes Lectorem. Tot egregios Viros insignesque Iuris Naturalis Doctores nostra veneratur aetas, quorum gloria, quamdiu orbis duraturus est Literatus, non intermo-

rietur. Merito igitur & mecum re-  
 volvo iucundissimum illud tempus,  
 ex quo perlegendis summorum ho-  
 rum scriptis Virorum sedulam navavi  
 operam, nec poenitet eos legisse, a  
 quibus nunquam non doctior recessi.  
 Et decet sane Philosophiae cultorem  
 non solum in cognitione rerum divi-  
 narum subsistere, sed etiam huic soli-  
 dam rerum humanarum addere sci-  
 entiam, quibus demum coniunctis,  
 feliciter tota Philosophia absolvitur.  
 Cum vero Moralis doctrina suas a-  
 gnoscat partes, inter illas eminere  
 censenda est, quae actionum iusta-  
 rum vel iniustarum normam propo-  
 nit,

nit, illarumque studium commendat,  
 harum vero fugam iniungit. His  
 enim instructos esse decet, et, qui ho-  
 minum actiones ad sanctioris vitae  
 studium formant, et, qui civium mo-  
 res legibus gubernant, quique etiam  
 propria sua negotia ad honestatem  
 dirigunt. Haec vero omnia Nobilis-  
 sima IURIS NATURALIS doctrina tradit.  
 Spero itaque, Benevolum Lectorem  
 vitio mihi non daturum esse, quod in  
 usum studiosae iuventutis, cum qua,  
 in Celeberrima hac Academia Vi-  
 tembergenſi, circa Nobilissima Iuris  
 Naturalis capita privatos inter parie-  
 tes haecenus differere mihi contigit,  
 in-

insequenti tempore Dissertationibus Academicis includere mihi proposuerim, in quibus iustum, quantum fieri poterit, ordinem, ad modum ceterarum Philosophiae partium observare elaborabo. Quare, ut Humanissimus Lector aequum de hoc labore, in me suscepto, ferat iudicium, est, quod enixe rogo. Tu autem Aeterne Praepotensque DEVS, conatibus meis largissima Tua assiste Gratia, et mentem manumque rege, quo cuncta sortiantur eventum, et SANCTISSIMO TVO NOMINI gloriosum, et cupidis discentium animis fructuosum.

PRO-



PROOEMIUM  
DE  
IVRE NATVRAE.

I.



*Vitium egerunt, qui ante nos fuerunt, (ait Seneca) sed non peregerunt, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio aliquid ad hoc adiciendi. Quae sane Sapientis animadversio, uti ad alia Scientiarum genera recte trahitur, ita haud incongrue in ipsam quoque Iuris Naturalis tractationem quadrat, cui nullo non tempore aliquod additamentum seu ornamentum feliciter obtigit. Certe enim, ut vere M. Tull. ait, recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime. Quo autem, ἀκυρολογίας καὶ ἀτάξίας vitium a me alienum fit, nec cum coecis congrédi videar; et ordine iusto incipiam, & eodem pariter progrediar, ac finiam. Constat autem quod in tradendis Disciplinis Philosophicis Autores primo, omnium solliciti esse soleant de existentia illius Disciplinae,*

C

cuius

cuius tractationem instituire sustinent, qui mos iam apud antiquos obtinuit Philosophos, teste Philosophorum Principe Aristotele, cuius scripta satis superque testantur, quaestionem, *An res sit?* prius tractandam esse quaestione, *Quid res sit?* idque iuxta ordinem naturalem, cum frustra in rei definitionem inquiratur, illa non existente.

II.

Quaeritur ergo ante omnia, *An sit vel detur Ius Naturae?* ubi accuratioris cognitionis ergo sic distinguo: *Primo* inter Ius Naturae et ipsam Naturam. *Secundo* inter Ius naturae et Legem Nat. *Tertio* inter Ius Naturae et Ius Gentium. *Quarto* inter Ius N. et Pactum et Consilium. *Quinto* inter Ius propriè et improprie sic dictum. *Deniq;* *Sexto* inter Ius et usum Iuris. Quibus explicatis, categorica quaestionem excipiet responsio.

III.

Quod ad primam attinet distinctionem, omnino factum agnoscunt discrimen *Ius Naturae et ipsa natura*. Male namque ab ipsa natura ad ipsum quoque Ius Naturae semper colligitur. Non quidem negari potest, bruta agere secundum suam naturam atque instinctum naturae, minime tamen illa secundum Ius Naturae agere, dici potest. Sic enim secundum rectam agerent rationem, quae illis non competit, quandoquidem a nullis diriguntur legibus, & consequenter nulli ob leges violatas obnoxia sunt poenae, sed suae naturae conditionem sequuntur atque instinctum, qui omni omnino sensu iuris privatus est. Quam Iuris Naturae ab ipsa natura differentiam satis clare etiam demonstrat VIR de Morali Doctrina optime meritis, B. DN. D. ZENTGRAVIVS, Ecclesiarum Evangelicarum Argentoratensium quondam PRAESES Gravissimus, item Praeceptor atque Hospes meus, post fata etiam beata  
sancta

sancta memoria colendus, in *Libro erudito de Orig. Verit. et immutab. Reclit. Iuris Natur.* pag. 7. his exemplis: Consuefcere cum Parentibus procreandi causa, negat *Myrrha apud Ovidium lib. 10. Metam.* esse contra naturam, etsi contra Ius Naturae commissum scelus fit; supplicio autem capitali afficere homicidam, contra naturam siue naturalem instinctum est, cum homo per naturam mortem hocreat, etsi non aduersetur Iuri Naturali.

IV.

Non minus etiam secundo accurate distinguendum est, inter Ius Naturae et Legem Naturae, non obstante, quod *GUIL. GROTIUS de Princip. Iur. Nat. pag. 7. et p. 32.* itemque *PVFENDORFIVS de I. N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 6. p. 178.* haec duo Synonyma faciant, quamvis nec aliter possit *PVFENDORFIVS*, iuxta suam hypothesin. Fundamentum autem diversitatis Iuris Naturae, ac ipsius Legis naturae, peritur partim ab actuum rectitudine vel irregularitate, quae illis inest citra respectum ad prohibitionem. v. g. Blasphemia, partim a discrimine obligationis realis et legalis. *Primum* si spectes, statuo cum *GROTIUS* aliisque, quosdam actus intrinsece et simpliciter esse debitos vel illicitos, etiam non accedente relatione ad iussum Dei aut hominis, quemadmodum, Deum blasphemare vel odio prosequi, actus absolute impius est et illicitus, citra ullum etiam respectum ad legem. Ideo enim, quia huic actui intrinseca inest turpitudine moralis, consequenter ille quoque a Deo seu necessario vetitus intelligitur. Ad *posterius* vero quod attinet, sane manifesta cernitur differentia inter obligationem legalem et realem, cum illa necessario superiorem praesupponit, quandoquidem nulla lex sine Legislatore locum habet, haec vero ab eo praescinditur, quatenus dantur eiusmodi actus mali, qui cum natura rationali moraliter sunt incom-



possibiles, quo ipso sane Ius Naturae a Lege Naturae suam agnoscit discrepantiam.

## V.

Tertio suum obtinent discrimen *Ius Naturae et Ius Gentium*, quae non sunt confundenda. Licet enim aliquo modo Ius Naturae cum Iure Gentium coincidat, quatenus illud omnibus gentibus commune est, non tamen simpliciter inter se conueniunt, cum, notante GROTIUS *de I. B. et P. lib. I. c. I. §. 14.* saepe in una parte orbis terrarum sit Ius Gentium, quod alibi non est: unde illud sic definit *loc. cit. quod Gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit*, et explicationis gratia haec subiungit verba: *quia vix ullum Ius reperitur citra Ius Naturale, omnibus Gentibus commune.* Latius igitur ratione subiecti patet Ius Naturae, quam Ius Gentium. Illud namque ubique valet, non item et hoc. Alioquin ratione obiecti, latius patere alius dicitur Ius Gentium, quam Ius Naturae.

## VI.

Quarto aliud quid est *Ius Naturae*, et aliud quid *Pactum*. Sicut enim Ius hominum conuentionem non requirit, quam tamen exigit pactum; ita etiam promissum non est, uti hoc, sed praeceptum. Quod ipsum discrimen DN. PVFENDORFIVS *de I. N. & G. lib. I. cap. 6. §. 2. p. 87.* clare innuit his verbis. *De caetero, quae inter pactum et Legem differentia sit, in aprico est. Pactum enim est promissum; Lex mandatum. In pactis dicitur, faciam: In Legibus, fac. In pactis, cum eadem in origine sua a nostro arbitrio dependeant, prius determinatur, quid faciendum sit, quam ad faciendum obligamur: In lege autem, quae potestatem alterius in nos supponit, ante obligamur ad faciendum: quid vero faciendum sit, post determinatur. Adeoque pacto non tenetur, nisi, qui suo consensu sese obstrinxerit, lege autem obligamur, quia antea eiusdem*  
*Autori*

*Auctori obsequium debebamus.* Similiter etiam *Ius Naturae* a *Consilio* differt. Hoc enim nullam infert obligationem, sed illud, licet rationes quandoque omnibus non pateant, nec in primis utile spectet. Porro, penes quem *Consilium* est, subiectum sibi non habet subditum, sed penes quem *Ius* est. Et denique *Consilium* non datur, nisi volentibus, *Lex* vero etiam nolentibus datur. vid. *Celeberr. PVFENDORFVS de I. Nat. & G. lib. 1. cap. 6. §. 1 pag. 86.* qui accurate haec tractat.

## VII.

*Quinto* probe tenenda est differentia inter *Ius N. proprie et improprie sic dictum*. Etenim apud *ICTOS Romanos* *Ius N.* sumitur pro eo, quod est commune naturae universae, ut animantibus quoque competat: unde illud definiunt: *quod natura omnia animalia decuit*; ut adeo homini peculiare ac proprium non sit, sed cuius peritia imbuta caetera quoque animantia censeantur. vid. *PVFENDORF. de I. N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 2. pag. 170.* Itemque *GROTIUS de Iure B. et P. lib. 1. cap. 1. §. XI.* Verum tale *Ius*, quod hominibus aequae ac brutis commune est, nullum datur, cum illa natura tantum capax sit *Iuris*, quae capax audit *praeceptorum*: at nulla praeter humanam talis est. Sic etiam, ut aliquid sit *Iuris capax*, necesse quoque est, ut cadat in illud morale. At hoc in bruta non cadit; Ergo nec illud; Vnde imaginem tantum *Iuris* habent bruta, non vero proprie *Ius*, quod ad reliquias imaginis *Divinae* spectat, ad quam primus homo creatus est, non vero bruta. Quare in illis nulla est ratio secundum leges vivendi, imo, si hoc ipsis conveniret, sequeretur, quod *Ius Naturae* sibi foret contrarium, quandoquidem instinctu naturali lupus ovem devorat. *Qua de re eruditus est discursus Celeberr. PVFENDORFII l.c.*

PAG. 178. et IOANNIS SELDENI *de I. N. et G. lib. I. cap. 5. pag. 70.*

## VIII.

*Sexto* denique ceu distincta attendenda sunt *ipsum Ius et usus Iuris*. Hic enim saepe negligitur, tamen illud obtinet: unde ab actus secundi negatione ad negationem actus primi non V. C. quemadmodum sic GROTIUS *de I. B. et P. lib. 1. c. 3. §. 24. p. m. 127.* non minus in imperio, quam in dominio ipsum Ius ab usu Iuris, siue actum primum ab actu secundo bene distinxit, probavitque exemplo Regis infantis, qui quidem Ius habet, sed imperium exercere non potest.

## IX.

His nunc positis, ad quaestionem §. 2. propositam, sic respondeo. Datur Ius Naturae strictè et proprie sic dictum, distinctum ab ipsa natura, non nihil etiam diuersum a Lege, Iure Gentium, Pacto, Consilio, Iure improprie accepto atque usu Iuris, idque sequentem in modum probatum velim. Quia *primo* datur subiectum huius Iuris Naturae, nimirum homo, *secundo* finis, *tertio* media seu principia nobiscum nata, & quidem incompleta, & denique *quarto* obiectum, siue actiones ad felicitatem veram dirigendae.

## X.

Existencia Iuris Naturae recte *primo ex existentia subiecti* huius Iuris colligitur. Dato enim subiecto Iuris Naturae, et ipsum quoque Ius N. dari, manifestum est. Subiecti autem nomine homo venit, qui nequit esse exlex, ob ipsam naturam rationalem et socialem. Non solum enim in prima creatione Creator optimus hominem anima beavit intelligente, opè cuius ea cognoscere potuit, quae sunt honesta atque turpia, consequenter, quae facienda, quae

quae fugienda, sed etiam liberam agendi facultatem fuit nactus, ut legibus convenientem vivere potuerit vitam, vel etiam illarum agere transgressorem. Insuper homo ceu animal sociale a Deo conditus est, qui in communitatem tranquillam, et pro sui intellectus modo ordinatam, cum his, qui sui sunt generis, naturali fertur amore atque appetitu. Lege proinde ceu vinculo ipsum teneri necesse est, ne in regulas socialem vivendi rationem spectantes, peccet. Valet enim hic commune illud Doctorum Iuris Naturae effatum. Quemadmodum corpus sine mente, ita Societas sine Lege, consistere nequit.

## XI.

*Secundo etiam ex fine Ius Naturae dari, probatur, sive deinde illum Socialitatem facias cum PVENDORFIO, sive eum rectius cum aliis in conscientiae tranquillitate consistere dicas.* Vtroque enim modo firmis rationibus deducimur ad Iuris Naturae existentiam. De priori res in apertico est ex thesi praecedente: ad posteriorem vero quod attinet, sane negari non potest, quod conscientia de rebus bene factis tranquilla, quae in maximo miseriae statu homini solatium praebet, praemium item actionum bonarum Ius Naturae praesupponant, cum, hoc negato, certe nec tranquilla locum habeat conscientia, nec ullum, actionum bonarum (quae sic dicuntur, quatenus Iuri Naturae consentaneae sunt) praemium.

## XII.

*Pariter tertio ipsa Principia nobiscum nata Iuris Naturae existentiam probant.* Cum enim talia nobis insint, conscientia, quid honestum, quid turpe sit? uti ex dictamine conscientiae hoc manifestum est, ad quod Paulus Rom. 2. provocat, etiam Ius Naturae nobis inesse, ultro colligitur. Neque haec sunt Iuris Civilis, uti quidam obiciunt, quia in-

con-

congrue ex tali applicatione demum, quod et quid Ius Naturae sit, ediscitur. Praesupponunt enim ICTI ea, quae sunt Iuris Naturae, ceu fundamentum Legum Ciuilium, quae Iuri Naturali minime aduersari debent; hinc etiam est, quod homo consideretur dupliciter, vel, prout vivit, in statu citra respectum ad leges civiles considerando, vel prout vivit in statu cum respectu ad leges civiles, atque hoc modo obtinet Ius Civile, quod determinat, ubi Ius Naturae nihil definit, sed illo modo Ius Naturae definit ea, quae sunt bona & facienda, atque mala et fugienda. Non minus etiam ex ipso sensu metuque Numinis atque Poenae Iuris Naturae existentia infallibiliter concluditur. In quo enim est sensus superioris metusq; poenae, in illo quoq; sensus legis erit. Nam qui sentit superiorem, sentit etiam obligationem, quae omnia consensus Gentium confirmat. Nec obstant gentes, quae contra Legem Naturae peccarunt, ut extant exempla, cum distinguendum sit inter moratiores gentes et Barbaras: consensus illarum Gentium obrinet, in quibus praeualet ratio, non autem Barbararum consensus requiritur, et, licet Barbarae gentes sensu Legis Naturae speciali destituantur, non tamen generali carent. Quinimo in huiusmodi gentibus videre est, quod saepe error non sit in notitia, sed tantum in applicatione.

## XIII.

*Quarto denique ex ipso peculiari obiecto* Iuris Naturae existentia patet, unde sic infero: Vbicunque datur peculiare obiectum, ibi quoque datur peculiaris tractatio. Atqui in Iure Naturae datur peculiare obiectum. Ergo datur quoque de Iure Naturae peculiaris tractatio. Prius membrum probatur ex eo, quia peculiaris tractationis fundamentum desumitur ab obiecto peculiari. Posterior vero pariter dubio caret. Dantur enim actiones ad

ad Felicitatem veram dirigendae, quae sine ulla est, nisi sit cum virtute ornata, quae ex iure Naturae oritur, & in eo fundatur, occupataque est circa Deum, circa ipsum, et circa proximum, de quibus in parte generali pluribus agendum erit. Ex quo apparet, quod actio humana non sola sufficiat, ex qua Leges naturales deducantur, ut HOBBSIVS docet apud PVFENDORF. *lib. 2. cap. 3. §. 16. pag. 200.* sed insuper alia sit agnoscenda origo, ex qua fluant. Quam in rem legi meretur *Coleberr. PVFENDORFIVS loc. cit.* Ceterum haec ratio ab obiecto desumpta, scil. actionibus humanis, obtinet, licet actiones istae in se sint contingentes. Distinguentium enim est inter id, quod dicitur contingens ratione existentiae, et quod dicitur contingens ratione effectus moralis: illud quidem recte asseritur, minime vero hoc. Sic triangulus contingentem quidem habet existentiam, sed, quod tres habeat angulos in se, immutabiliter verum est: *Id quod etiam de talibus, quae sunt naturaliter moralibus, dici potest. Quodquam enim coniunctio principiorum moralium, et concursus variarum conditionum et circumstantiarum, ex quibus transurgit moralis, sit quoad existentiam contingens, ad rationem tamen & veritatem istius moralitatis, talis concursus et talis compositio requisitorum in genere morum essentialium inuisibiliter et perpetuo, praecisae etiam Divinae Voluntate, est necessaria.* Sicut erudite pro more suo differit B. DN. D. ZENTGRAVIVS *de Orig. Ver. et immut. Rect. Jur. Nat. Art. 8. §. 31. pag. 26. 27. et seq.*

XIV.

Evidentia sic iuris Naturae existentia, firmisque probata rationibus, facile nunc erit, negativam sententiam arripientem refutare. Licet vero mihi hic GROTII mutuari verba, quae in *Prolegom.* hinc in modum §. 5. concepta leguntur. *Cacterum, ut cum iustis nobis res sit, demus et Advocatum. Essem potius, quam Carneadem? qui ad id pervenerat, quod Academicus*

D

demio

deniæ suæ summum erat, ut pro falso non minus, quam pro vero, vires eloquentiæ posset intendere? Is ergo cum suscepisset Iustitiæ, huius præcipue, de qua nunc agimus, oppugnationem, nullum invenit argumentum validius isto: Iura sibi homines asilicite sanxiffe varia pro moribus, et apud eosdem pro temporibus sæpe mutata; Ius autem naturale esse nullum. Omnes enim et homines, et alias animantes, ad utilitatem suam natura ducente ferri: Proinde aut nullam esse Iustitiam, aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceat, alienis commodis consulens. Quibus verbis impiam CARNEADIS, Academicæ Sectæ Philosophi, complectitur GROTIUS sententiam, de qua vero paucis tantum in præsentî differere lubet, quandoquidem passim a Moralium Doctoribus solide refutata conspicitur.

XV.

Iure igitur meritoque CARNEADIS fundamentum; quo Ius Naturæ negatum est, infirmum dicitur, ac tale, quod sponte sua ruit, ut proinde haud opus sit, rationes rationibus cumulare, quo hæc impietas, manifesta que imprudentia in ruborem detur. Sufficiat in præsentî vel unicum illud GROTII argumentum de Iure B. & P. in proleg. §. 7. quod validissimum esse puto ad refutandam Carneadis mentem, vel potius sententiam contra mentem expressam. Cernimus enim non solum in animantibus brutis, v. g. Cane, Ciconia, Columba, non tam proprium utilitatum suarum studium, quam sollicitam aliorum animantium curam; sed etiam in infantibus videre est, quomodo ad benefaciendum aliis ante omnem instructionem naturali quadam ferantur inclinatione, quæ egregium in his etiam annis de Misericordia, quæ nulla vi externa cogente, sed sponte prorumpit, perhibet testimonium. Alienis igitur consulere commodis summam vocare stultitiam, stultum Carneadis iudicium prodit, id quod universa fere natura unanimi testimonio confirma-

ture

tum sistit. Ad cetera vero quod attinet *Cornadii* deliria, ad illa solide respondit *Doctiss. DN. PVFENDORFIVS lib. 2. c. 3. §. II. pag. 188. et seq.*

XVI.

Quaestionem circa existentiam Iuris Naturae motam, quatenus illud *in genere et absolute* consideratur, excipit nunc illa, quae circa existentiam Iuris Naturae *in specie, et sub certa hypothesis*, est occupata. *Quaeritur itaque, an detur Ius Naturae? (et moralia naturalia) etiamsi daretur, quod sine summo scelere dari nequit, quod non sit Deus.* Cui controversiae ansam praebet *H. GROTIUS de Iure B. & P. in proleg. §. XI.* Sic enim sese habent eius verba: *Et haec quidem, quae iam diximus, locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut curari ab eo negotia humana.* Quanta haec *GROTII* opinio causata sit certamina, et quot dissentientes invenerit animos, hospitem esse oportet in *Doctorum Moralium* scriptis, quem id lateat. Liceat mihi circa Philosophica versanti, Philosophica quoque uti libertate, meumque iuxta illam ferre iudicium, licet non ignorem, fatius esse, si ad huiusmodi quaestionem movendam nemo unquam occasionem praebuisset.

XVII.

Distinguendo igitur respondeo, *primo*, inter phrasin, et phraseos sensum seu scopum. *Secundo*, inter Ius et Legem Naturae. *Tertio*, inter Ius moralitatis et moralia ipsa. Et denique *quarto* inter disputationem κατ' ἀνθρώπων, et κατ' ἀληθείαν. *Primo* hic de sensu potissimum sermo est, qui idem est, ac si dicas cum *B. DN. D. ZENTGRAVIO de Orig. Ver. et immut. rect. Iur. Nat. pag. 279.* *Quaeritur, an detur actus antecedenter ad omnem legem et talem impositionem speciatu, moraliter malus, nisi in se etiam, sc. uti GROTIUS, THOMAM secutus*  
 D 2 Deum



Deum non esse, fingas, vel, ut mistus loquitur GORDON in Theol. Mor. T. 1. pag. 291. actum talem lege cum non prohibuisse potas. Secundo autem hic ea repetenda sunt, quae superius dicta, nimirum §. 4. quod non sit confundendum Ius Nat. cum Lege Naturae: de illo hic quaeritur, non de hoc. Verum namque est, quod, negato DEO, negetur Lex Naturae, cum omnis Lex requirat Legislatorem, unde probe attendendum est discrimen inter id, quod bonum dicitur vel malum, propter respectum ad legem, vel propter intrinsicam rationem malitiae et bonitatis. Illud non datur sub hypothese Grotiana, hoc autem semper. Tertio hic de moralibus ipsis non sic praecise quaeritur, sed de iure moralitatis. Quarto denique de disputatione *κατ' ἀνθρώπων* quaestio plane non est intelligenda, sed de ea, quae est *κατ' ἀνθρώπων*.

## §. XVIII.

His nunc observatis, ita respondeo: Datur Ius naturae sub hypothese, etiam si daretur, quod sine summo scelere dari aut fingi nequit, non esse Deum, iuxta commodum phraseos sensum, imo et phraseos scopum, quatenus ius a lege et moralibus ipsis distinguitur, praesertim si *κατ' ἀνθρώπων* disputes: Idque probatur, quia *Primo* datur ratio bonitatis et malitiae moralis sub hac hypothese. *Secundo*, quia dantur moralia, quae secundum alios naturalia dicuntur. *Tertio* denique, quia dantur Athei speculative tales. Vnde, licitam quoque sub his terminis hanc phrasin esse, puto.

## §. XIX.

*Primo* igitur non difficulter probari posse existimo, dari rationem bonitatis et malitiae moralis sub hac hypothese, ita, ut non demum a nuda impositione et lege superioris

perioris illa proveniat, sed, praecisa ista impositione, sic sese  
 habeat: exemplum sit v.g. concubitus cum alterius uxore,  
 qui sane actus non solum legaliter malus est, sed, antece-  
 denter ad omnem legem et talem impositionem conside-  
 ratus, turpis audit, adeoque, etiam praecisa lege, non mere  
 physice se habet, sicut illi opinantur, qui PVFENDOR-  
 FIVM sequuntur. *Ex hoc enim consequeretur* (uti egregie  
 differit B. DN. DOCT. ZENTGRAVIVS de Orig. Ver.  
 et immut. Rect. Iur. Nat. pag. 280. et 291.) quod de posse ab-  
 solute loquendo, sique Legislatoris Sapientiae ita fuerit visum,  
 adulterium uti prohiberi, ita etiam praecipere possit. Posse enim im-  
 pta a sociali, et consequenter Naturae hominis convenienter, tales  
 dari casus, ut cum personale, non commune, adulterium, si in se  
 malum non foret, quod nos contendimus, praecipere possit, dubium  
 non est. Hoc vero cum dici non debeat, patet, actum adulterii, seu  
 cohabitationis cum uxore alterius, sic esse comparatum, ut, prae-  
 cisa etiam legali impositione Divina, reliquum quod est in hoc actu,  
 non ad esse Physicum tantum pertineat, sed esse quoddam morale,  
 quod ex obiecto scilicet in actum ipsum, eo, quo supra explicavimus,  
 modo, derivatum est, una involvat. Ex quo erudito admodum  
 Magnif. VIRI discursu luculenter satis apparet, non in o-  
 mnibus moralitatem praecise ex impositione Legis esse  
 repetendam, sed in se talem esse, praecisa etiam lege: quod  
 ipsum, licet *Celeberr.* DN. PVFENDORFIO Scholasticum  
 ritum fuerit figmentum, verum tamen dogma est, cu-  
 ius intuitu praestet cum Scholasticis sentire Philosophis,  
 quam cum illis, qui acres illorum sunt hostes.

## XX.

Haec cum ita sese habeant, ultro nunc secundo pa-  
 tet, quod moralia dentur, quae aliis naturalia dicuntur,  
 ut copiosiori probatione haud opus sit. Quo autem res  
 clarior fiat, iuvat adhuc unum hic addere exemplum

D;

quod,

quod tamen verbis potius alienis, quam propriis, proferre malo. Sic idem *Vir Doctissimus*, B. DN. D. ZENTGRAVIUS, *cit. lib. pag. 261 et 262.* haec habet: *Sicut ratio proprietatis per se, praecisa cuiuscunque ita desinientis voluntate, infert tale ius, quo res mea est, alienum autem dicitur, quod non ad me, sed ad alium pertinet, ita hinc naturaliter et necessario resultat moralitas, quae caeteris, unde ista consurgit, principiis positis ad omnem desinientis voluntatem se habet antecedenter. Finge enim ad mentem Atheorum, quod tamen ex iudicio recte sentientium sine summo scelere dari non potest, non dari DEVM, videre tamen duos tantum homines, pacto absque ullo, acique tamen haec rationes r̄ proprii et r̄ alieni immutabiles erunt.* E quibus itaque sic colligo. Si dantur moralia hoc sensu secundum alios sic dicta naturalia, uti solide haecenus probatum est, dari talia; sequitur etiam, quod detur Ius Naturae sub data hypothesis et praecisa lege. Nam a concreto ad abstractum hic valet consequentia. Accedit, quod, cum sint relata, illa quoque simul existere debeant, ita ut neutrum sine altero esse possit.

## XXI.

*Tertio* tandem huic sententiae, tanquam verae, sium addit pondus existentia Atheorum Theoreticorum, sive speculative talium, de quibus licet multi dubitent, illosque negare sustineant, a me tamen tantum abest, ut a communi Theologorum nostratium opinione, unanimi fere consensu Atheorum Theoreticorum existentiam hinc inde docentium, recedam, ut potius sententiam meam repetam, quam in Dissertatione ista Physica expressi, cui titulus, *De Deo, ex lumine naturae cognoscendo, per partes Physicas, habita sub Praesidio Excellentissimi DN. DOCT. HENNINGERI, Professoris Medicinae Argent. Celeberrimi, Patroni atque Fautoris mei ad dies vitae pie Colendi, dicendo: dari Atheos specu-*

speculative tales, licet non potentiali ignorantia invincibili, tamen actu ipso per longam consuetudinem, quatenus illos ex iustissimo iudicio DEVS in reprobum dedit sentum, quem propria sibi attraxerunt culpa. Iam, stante hac sententia, quod scil. dentur tales Athei, qui modis omnibus Deum esse negant, consequens est, non tantum licitam esse phrasin Grotianam, iuxta commodum eius sensum, sed etiam ex illa fluere, quod sub hypothesi illa GROTIJ ius Naturae detur, cum dentur tales actus, quos eiusmodi Athei ceu turpes secum reputant, atque ab honestate remotos.

## XXII.

Ex diversa hac Iuris Naturae consideratione, prout vel antecedenter ad Divinam spectatur Voluntatem, et a lege naturae distinguitur, vel consequenter ad illam se habere dicitur, atque cum Lege naturae coincidit, diversus nunc quoque praeceptorum Iuris Naturae exurgit fontes et origo moralitatis. Aliter enim eam deducunt, qui cum GROTIJ sentiunt, aliter vero, qui PVFENDORFII arripiunt partes. Circa quam controversiam hoc modo dolendum est, quod nonnulli eo fervoris devenerint, qui a Christiano amore fraternaque iudicandi acuitate longissime alienus est. Certe DN. PVFENDORFIVS, *Vir alias Doctissimus, et de Morali Doctrina optime meritus*, hoc nomine accusari potest. Quam odiosis enim verbis mordacibusque phrasibus contra Auctorem libri de Orig. Ver. et immut. Rect. Iur. Nat. fuit usus, Eius spicilegium Iuris Nat. Cap. I. pag. 278. et seq. Operi de Iure N. et G. annexum, ad oculum demonstrat. Nec puto ego Auctorem. est. lib. iure meritum fuisse huiusmodi censuram, si vel ad ipsa respiciamus dogmata, quae defendit, vel ipsa attendamus verba, quae contra PVFENDORFIVM adhibuit. Sed ne videar meo patrocinari Praeceptorum, nunc in Dextino placide defuncto, potius alienum,  
quam

quam meum afferam iudicium, quo appareat, limites in iudicando transgressum fuisse DN. PVFENDORFIVM. Validum enim arbitror esse testimonium, quod ab Eo adducitur, qui PVFENDORFII causam agit, strenueque Eius sententiam contra alios defendit. Iam vero ipse IVLIVS RONDINVS in *Dissert. sua Epist. operi PVFEND. annexa pag. 343.* ita scribit. *Modestum se satis, et prout eruditum Virum decet, exhibuit Auctor lib. de Orig. Ver. et immut. Rect. Iur. Nat.* unde sic modeste rursus excipi debuisset a DN. PVFENDORFIO, si vel ulla humanitatis ac aequitatis observare voluisset officia.

## XXIII.

*Fons* itaque et *origo* moralitatis, quoad illos actus, qui, ob intrinsecam bonitatem vel turpitudinem, a Lege naturae praecepti vel prohibiti sunt, et sic (liceat ita loqui,) antecedenter ad illam se habent, ab ipso deduci debet obiecto, eiusque ratione morali immutabili, prout aliquid in se habet, ut humanae naturae immutabiliter sub ratione quadam morali sit conveniens. *Fons* vero et *origo moralitatis*, quoad illa praecepta moralia, quatenus leges sunt, nomine legis DEI aeternae venit, quae est lex improprie sic dicta. Sic enim divinae visum fuit sapientiae, iustitiae atque sanctitati, homines eiusmodi legibus sistere obligatos, sibi que subiectos, quae non nisi convenientiam dicunt cum natura non minus sui ipsius, quam hominum. Quo ipso periculosa pariter atque pestilens opinio est illorum, qui, in tnero hominum arbitrio discrimen honestorum et turpium fundari, asserunt, naturalemque actuum humanorum indifferentiam contendunt, uti a nonnullis eschola Doctoribus id fit. Stante enim hac Philosophia, non solum monstrosae exinde fluunt hypotheses, sed etiam Athei eo licentius in quaevis ruere scelera non dubitant. Quam

Quam in rem eruditum conferri meretur *Prooemium B. DN. DOGT. ZENTGRAVII de Orig. Verit. et immut. reb. Iur. Nat.*

## XXIV.

*De Praesidiis Iuris Naturae*, ut paucis hic quoque differam, non abs re erit. Quemadmodum autem reliquae vel Disciplinae, vel peculiare tractationes, peculiaria sua habent *praesidia*, quibus eo felicius excoli, clariusque cupidis scientiae cultoribus proponi possint; ita pari ratione nec tractatio de Iure Naturae suis destituitur. Sunt vero illa duplicis respectus. Velenim audiunt *sacra*, vel *profana* appellantur. *Sacra* in ipsa traduntur Scriptura, in qua optimam legum naturalium habemus explicationem. Decalogus enim nihil aliud est, quam repetitio Iuris Naturalis, additis nonnullis ex legibus positivis: Profana contra varia numerari solent, sic suum addunt pondus Canones Conciliorum, Patres Ecclesiae, Iuris consulti, Philosophi, Historici, Poetae denique, atque Oratores. De singulis pauca.

## XXV.

Praeter *Praesidia* Iuris Naturae, ex ipsa Scriptura §. hausta, primo numerantur *Canones Conciliorum*. Constat enim, Patres in iis moralia egregie tractasse, et praesertim in particularibus conciliis multas quaestiones solide decidisse, ad Philosophiam Christianam pertinentes. Sunt autem eiusmodi canones conciliorum proprie statuta Ecclesiae de moribus. Prout igitur Synodi variant, ipsi quoque canones variant, hinc: quia concilia alia sunt universalis, alia particularis, et canones alii erunt conciliorum universalium, alii vero particularium. Et rursus, quia concilia alia sunt Graeca, alia Latina, et canones alii erunt conciliorum Graecorum, alii vero conciliorum Latinorum.

E

XXVI. Se-

## XXVI.

*Secundo, Patres Ecclesiae antiqui, inter quos eminent Angustinus, Hieronymus, Iustinus Martyr, Theodoretus, et alii, inprimis vero illi, qui contra gentiles scripserunt. De Scholasticis autem scriptoribus hic quaeri solet, an eorum usus esse possit in hac disciplina? Notum enim est, quod PVFENDORFIVS non magnifice de iis existimet, sed Scholasticos pariter ac illorum sectatores refutet. Verum enimvero praestat hic sentire cum GROTIUS, quam cum PVFENDORFIO, qui in Prolegomen de Iure B. et P. §. 52. Scholasticos Doctores suis circa Moralia non defraudare voluit meritis, quin potius id laude dignum in ipsis censuit, quod PVFENDORFIO defuit, quando hunc maxime in modum loc. cit. loquitur. Tamen, ubi in re morum consentiunt, scil. Scholastici, vix est, ut errent. quippe perspicaces admodum ad ea videnda, quae in aliorum dictis reprehendi possunt, in quo ipso tamen diversa tuendi studio laudabile praebent modestiae exemplum, rationibus inter se certantes, non, qui mos nuper adeo literas inquinare coepit, convitiis, turpi foetu impotentis animi. Aliud sane de Scholasticis iudicium hoc est, quam illud PVFENDORFII in spicilegio Iuris Natura cap. 1. pag. 279. ubi Scholasticos non solum sophistas, sed etiam illorum scripta nugae et quisquilias esse iudicat: absit hoc a me, ut eiusmodi de Scholasticis contra veritatem feram testimonium, sed absit quoque id a me, ut illorum scripta ab omnibus plane nugae atque ineptius pronunciam libera. Unde cum in illis bona mixta sint malis, tollendus est abusus, ut tamen ipse usus salvus maneat. Idcirco eleganter dicit LACTANTIUS, nullam esse sectam, quae non aliquid videris de vero: quae etiam veterum Christianorum fuit libertas, qui veritatem sparsam, et passim diffusam, in unum colligebant opus. Quare laudandus est GROTIUS, quod omnes sapientes*

entes inter praefidia huius disciplinae adduxerit, fideles et infideles.

## XXVII.

*Tertio, Iure Consultis*, quorum opera in hoc studio Iuris Naturae est praestantissima. Multi enim hanc Doctrinam tradiderunt, et Ius civile multa de Iure Naturae participat, aequitatemque Iuris Naturalis proxime accedit: quae sane etiam ratio videtur esse, cur Vir quidam Celebris studiosis Theologiae suaserit, ut Iuri operam dare deberent civili; cui sententiae etiam adstipulatur H. GROTIUS in *Prolegom. de Iure B. et P.* §. 35. Multum enim is defert Iure Consultis, nam et rationes saepe optimas suppeditant ad demonstrandam id, quod Iuris est naturae, et eidem Iuri testimonium saepe praebent.

## XXVIII.

*Quarto, Philosophi* tam veteres, quam recentiores. Hoc enim studium sua natura mere est Philosophicum, uti postea demonstrabitur §. XXXII. Sunt autem *Philosophi*, sicut modo dictum est, vel *prisci*, vel *recentiores*. Inter *priscos* referri meretur PLATO (quamvis ante hunc adhuc alii fuerint) qui solitus fuit ad naturae dictamina omnia reducere: sed cum iudicio legendus est, si quis mentem eius percipere velit. Idem et Aristoteles, cuius libri Ethicorum ad Nicomachum inter scripta moralia eminent, eiusque liber de Amicitia non male compendium Iuris Naturae appellari potest. Iudicio GROTII in *prolegom. de Iure B. et P.* §. 42. is principem obtinet locum, *sive tractandiorum, sive distinguendi acumen, sive rationum pondera considerentur*, uti cit. loc. verba se habent. Non minus etiam CICERO in opere de officiis, item de Legibus Ius Naturae eleganter explicat, et quidem ita, ut quilibet fateri debeat, ei, si gentilitium abstrahamus, misere deesse. *Recentiores* autem



si spectes *Philosophos*, inter illos recenseri merentur *M. E. LANCHTHON, H. GROTIUS*, (et *Commentatores eius, BOECLERUS, OSIANDER, ZIEGLERUS*, ) itemque *PVFENDORFIUS*, alii et qui egregiam huic studio navarunt operam.

## XXIX.

*Quinto, Historici*, quorum certe usus est eximius, non solum in univēsa *Philosophia Morali*, sed speciatim etiam in *Iure Naturali*, quem erudite ostendit *H. GROTIUS de Iure B. et P. in prolegomen. §. 46.* cuius verba hic apponere lubet, quae sic concepta leguntur. *Historiae duplicem habent usum, qui nostri sit argumenti: nam et exempla suppeditant et iudicia. Exempla, quo meliorum sunt temporum ac populorum, capus habent auctoritatis: ideo Graeca et Romana vetera caeteris praetulimus. Nec spernenda iudicia, praesertim consentientia. Ius enim Naturae ut diximus, aliquo modo inde probatur: Ius vero Gentium, non est, ut aliter probetur.* Quae sane dignitatem *Historiae*, quam in *Ius Naturae* diffundit, satis demonstrant. Sermo autem hic est de *Historia pragmatica* v. g. *Liviana*.

## XXX.

*Sexto* denique, *Poetae*, et quidem *Tragici* imprimis, ut *Seneca*, atque *Oratores*, ut, *Demosthenes*, *Cicero*. In his enim multa continentur moralia: placet tamen de horum meritis in *Ius Naturae* iudicium *H. GROTII* in *prolegom. §. 47. de Iure B. et P.* hunc in modum expressum. *Poetarum et Oratorum sententiae non tantum habent pondus (quantum nimirum caeteri habent) et nos saepe eis utimur, non tam, ut inde adstruamus fidem, quam ut his, quae dicere voluimus, ab ipsorum dictis aliquid ornamentum accedat.* Adiungendum igitur hoc praesidium est reliquis: sic cuncta simul sumpta, non solum egregium de *Iure Naturae* perhibent testimonium, sed etiam facilitatem huius studii addiscendi aperiunt viam.

## XXXI.

Caeterum negari non potest, Doctrinam Iuris Naturae suos etiam habere Haereticos, quos inter iure HOBBSIVS cum suis referri meretur a seclis. Pestilens enim error est, quem circa originem Iuris Naturalis errat, quando illam, *Cap. I. de Civit. pag. 8. a naturali hominum ferocia, mutuaque se laedendi voluntate, quam in statu naturae omnibus, et si non ab eadem causa, inesse* ait, pessime deducit. Ut nunc de ceteris brevitatis ergo taceam dogmatibus, quibus sanam Philosophiam imprudenter impugnatum it. Sane inverso HOBBSIVS incedit ordine, rectamque corruptae subiicit rationi, cum tamen haec illi cedere debeat, et potius in deducendis hominum actionibus secundum Ius Naturae de eo, quid recta dicat ratio, sit dispiciendum, quam quod ferociens iubet, quae ad rectum rationis iudicium, tanquam fundamentum eorum, quae Iuris Naturalis sunt, examinanda, consequenter etiam, ut ipsi repugnans, corrigenda est. Qua de re sobria est Philosophia B. DN. D. ZENTGRAVII in libro iam saepius citato pag. 132. 133. 134. 135. Vbi alii adhuc HOBBSII absurdus, *Vir Doctissimus* solidis occurrit rationibus.

## XXXII.

Sed ulterius nunc progredior, et sequentem sub examen revoco quaestionem, nempe: an Philosophicam Ius Naturae constituat Doctrinam, cuius tractationem in se suscipere possit Philosophus, ut tamen falcem non in alienam mittat messem? Puto ego, affirmativam responsionem certam esse, suisque niti fundamentis; quandoquidem non solum principia eius sunt moralia, sed etiam hominem considerat moraliter: etenim de officiis homini observandis agit, quorum finis est, ut homo vivat secundum honestatem, et consequatur externam et civilem felicitatem, quae certe

E:

certe

certe non in alia, quam morali explicatur Philosophia. Posito igitur obiecto, fine, principiis item Iuris Naturae Philosophicis, et ipsum Ius Naturae, tanquam doctrinam Philosophicam poni, necesse est, et ex natura relatorum patet. Non tamen hoc ipso vel Ethicam totam exhaurit, vel Politicam constituit, sed fundamentum utriusque ponit, atque illius pars dicenda est.

## XXXIII.

Vnde vel ex hoc patet differentia, quae inter *Ius Naturae*, et *Ius Civile*, atque *Theologiam Moralem* intercedit. *Illud* enim traditur secundum principia nobiscum nata practica, explicans simul officia, continentia obligationem omnium hominum; *Istud* vero exponit tantum leges singularum Civitatum, quae pro illarum varietate quoque variant. *Haec* autem id docet, prout ex fide homini Christiano observandus est Decalogus, una cum ceteris legibus revelatis. Praeterea etiam specialem Dei revelationem Theologia Moralis respicit, qua certe Ius Naturae non gaudet. Eius observationem divinae sequuntur promissiones, quas Ius Naturae ignorat. Ut taceam de diverso utriusque ambitu, consequenter etiam de diverso fine. Non enim negari potest, Theologiam Moralem latiore agnoscere ambitum feliciorumque finem, quam ipsum Ius Naturae agnoscit, dum hoc ambitu huius tantum vitae comprehenditur, honestamque ab homine exigit vitam, illa vero etiam fructum, post hanc vitam Christiano homini expectandum, docet.

## XXXIV.

Gravis hinc error est illorum, qui, naturali religione hominem salvari posse, asserunt, ita, ut ipsi Ius Naturae ad consequendam felicitatem aeternam sufficiat, cui sane sententiae Pagina Sacra e diametro contraria est. Naturalis

ralis enim homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI, neque alia est salus, neque aliud nomen hominibus datum, in quo salventur, nisi nomen IESU: quod cum illos fugiat, qui unice sequuntur suum rationis dictamen, et salutem aeternam ab ipsis alienam esse, ultro patet. Igitur iuxta Scripturam nosstrates iudicant Theologi, Philosophis generibus, sapientissimis licet, ac stupenda eruditione, aliisque donis divinitus ornatis praeditisque, aeternam denegantes salutem. Licet enim rationi nostrae corruptae id absurdum videatur, non tamen hoc ipso Divina periclitatur veritas, cui soli plus fidei tribuendum, quam omni huius mundi Sapientiae.

## XXXV.

Sed ne silentio praeteream ea, quae circa *Antiquitates* Iuris Naturae differi possunt, paucis quoque hanc tangere libet materiam. Coepit autem hoc Ius Naturae cum ipsa hominis Natura, et a populis ad id iam olim etiam fuit provocatum, teste *Iustino lib. 21. cap. 1.* ubi expresse mentio fit Iuris Naturae, quod milites secuti sunt, quando, extincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum eius maximum natu ex filiis eius, nomine Dionysium, suffecere, de quo iure primogeniturae *Herodotus 7. 2.* testatur; Esse apud universos homines institutum, ut maximus natu liberorum obtineat principatum: nec Lex Divina quicquam paritur primogenito derogari *Deus. 21. 17.* Non minus etiam antiquissimi Poetae passim ad hoc provocarunt Ius Naturae, cuius rei testimonium extat apud *Ovidium lib. 1. Metamorphoseos* *prima facta est aetas, quae, vindice nullo, sponte suo, sine lege* (externa aut scripta) *fidem* *rectaque colebat.*

Pariter id ex *Memoro* aliisque constat. *vid. D. ALBERTI Comment. Jur. Nat. oribod. Theol. conform. pag. 22. et 23. Ut in aeternum*

lem esse oporteat in Veterum monumentis, quae nobis reliquerunt, quem lateat testimonium antiquitatis de hoc Naturae Iure.

## XXXVI.

Insuper *utilissima* est Iuris Naturae doctrina, cerniturque insignis eius usus *primo in genere*, qui petitur a *praestantia Originis*, Deo, qui Auctor est Iuris Naturae. Ex lege enim Dei aeterna, quam alii concedunt, in nobis Lex Naturae resplendet, et resplendescencia quaedam quasi est Divinae Sanctitatis atque Iustitiae in nobis, prout Divina Sapiencia, Creaturam rationalem secundum haec attributa Creatori conformem fieri et vivere debere, iudicavit, quae sane summa dignitas est, ad quam homo ab Optimo Creatore fuit evehctus, consequenter etiam illis instructus auxilijs, quibus felicitatem huius vitae obtinere valet. Atque hunc Iuris Naturae usum et praestantiam egregie confirmat H. GROTIUS *de Iure B. et P. in proleg. §. 2.* partim Ciceronis testimonio, partim etiam Euripidis, ita dicens: *Vere enim Cicero praestabilem hanc dixit scientiam in foederibus, pactiõibus, conditionibus populorum, regum, exterarumque nationum, in omni denique Belli iure et Pacis. Et Euripides hanc scientiam rerum Divinarum et humanarum cognitioni praeponit. Sic enim Theonoen compellari facit:*

*Nam turpe id esset, cum scias, hominum ac Deum  
Quod est eritque, iusta te haud cognoscere.*

Igitur in actionibus humanis eximium praestat usum Ius Naturae, quandoquidem non solum dicitur, quid agendum sit; sed etiam, quomodo actiones humanae institui debeant, quo scopum felicitatis homo attingere queat.

## XXXVII.

*Secundo etiam in specie egregius usus Iuris Naturalis conspicitur in Theologia.* Constat enim, quod saepius in ea ad hoc provocetur, ut, *v.g. capite primo et secundo Epistolae Paulinae ad Romanos*, quorum genuinum sensum is facile allequi valet, qui hac doctrina Iuris Naturae probe est imbutus. Non minus multum illud conducit ad intelligendam doctrinam de Imperio Dei in homines summo et absoluto, quae sane uti utilissima est, ita suis non caret difficultatibus, cum neminem Sacrarum controversiarum gnarum lateat, quomodo circa illam Arminiani, Sociniani et Remonstrantes acriter contra orthodoxam pugnent sententiam, quando frivole contendunt, Deum peccatum Adami posteris ipsius ex sola imputasse voluntate, nec non posse absoluta sua potentia atque imperio hominem innocentem ceu gravissimum punire peccatorem. Ut taceam de officiis hominis erga Deum, quae Ius Naturae tradit. Vel enim haec sola ad demonstrandam eius utilitatem in ipsa Theologia sufficiunt. Sermo autem hic est de tali usu, qui cum necessitate coniunctus est.

## XXXVIII.

In *Iure* idem apparet. Quantum enim solida Iuris Naturalis cognitio huic addat pondus, apud omnes in confesso est, qui vel prima eius ponderant momenta. Certe frustra quis in Iure Civili felices sibi promittit progressus, nisi prius, quid Ius Naturae velit? bene calleat. Fundamentum namque hoc est Legum Civilium, et norma, iuxta quam formandae illae sunt atque examinandae. Unde etiam natum est proverbium, *Si desit Ethicus* ( cuius nomine etiam Iuris Naturalis studiosus venire debet.) *incipit Iuris consultus.* Porro tradit hoc Ius Naturae officia hominis erga proximum, quo non solum contractus

F

spe-

spectant et iuramenta, sed etiam sui ipsius defensio in inculcata tutela ratione officii erga se ipsum, quae omnia in Iuris Prudentiam amplissimum suum diffundunt usum.

## XXXIX.

Sic etiam ipsi *Medico* utilis est Iuris Naturalis doctrina propter gubernandas proprias actiones ex generalibus principis. Decet enim ipsum, velut animal rationale et sociale non solum officia observare Deo debita, sed etiam quid sibi ipsi debeat atque proximo? scire oportet; id quod vero Ius Naturae inculcat docetque, quomodo omnes non solum honeste et sancte vivere debeant, quo Deo assimilentur, et tranquillam pacificamque habeant conscientiam, sed etiam quid alter alteri ex iure socialitatis debeat? ne eius transgressorem agat.

## XXXX.

Denique *Philosopho* Ius Naturae scitu maximopere necessarium esse, nullum plane dubium est. Praeterea enim quod partem Philosophiae Moralis constituat, quam nullus accuratorum Philosophorum ignorare debet, etiam fundamentum eiusdem Philosophiae est, quo nomine recte salutatur. Et qualis Metaphysicae seu Philosophiae Primae in speculativis Disciplinis tribuitur praestantia, talis quoque recte assignatur illi Disciplinae, quae in Moralibus seu Practicis, de Iure Naturali agit, ex quo tales fiunt leges, quae in omni negotio vitae humanae utilissimae sunt, honestatemque praecipiunt, qua demum actiones humanae felices censentur.

## XXXXI.

Ceterum etiam de *Methodo* differi solet, qua tractatio Iuris Naturalis institui debeat. Quemadmodum autem Philosophia communiter in duas dispescitur partes, Theoreticam nimirum et Practicam, ita quoque ipsa *metodo*

*duo*

duo duplici se habet modo, ut alia vocetur *analytica*, et alia *Synbetica*, illa practicis disciplinis propria est, haec vero Theoreticis competit. E quo statim apparet, quod nulla alia *metodo* Ius Naturae tractandum sit, nisi *analytica*. Quantum quantum enim hoc studium est, praxin respicit, finemque subiectum, obiectum atque *media* *Methodo analyticae* correspondentia habet, uti sequentia clare satis atque perspicue id docebunt.

## XLII.

Hisce omnibus praemissis, ad ipsam quoque Iuris Naturalis *definitionem* deveniendum nunc est. Dupliciter autem haec accipitur a Philologis. Vel enim *Nominalis* audit, vel *Realis*, illa nuda nominis expositio dicitur, haec vero quoad rem ipsam accurata explicatio est, quae rei essentialia exprimit, debitisque partibus genere nimirum et differentia specifica constat, in quantum haec haberi potest. Saepe enim ob lapsum Adami hominis cognitionem fugit, ut loco eius proprium vel accidens quoddam commune in definitione substituatur. In praesenti igitur Ius Naturae secundum utramque definitionem considerandum erit, quo eo melius et distinctius reliqua, ex definitione fluentia, intelligi queant.

## XLIII.

In *definitione* autem Iuris Naturalis *Nominali* tria potissimum observanda veniunt, primo Paronymia, secundo Homonymia, et tertio, Synonymia. Quod Primo ad Paronymiam Iuris attinet, vel est *iustum a iubendo* per apocopen, ut Guil. GROTIUS *de princ. Jur. N.* putat, itemque H. GROTIUS *de Iure B. et P. in prolegom.* Vel est *a iusto*, ut GVL. GROTIUS *pag. 2. §. 7.* observat, adductis testimoniis Istorum, Vel est *a Iove*, quo sensu teste H. GROTIUS *de Iure B. et P. in proleg. §. 12.* Chrysippus et Stoici dicebant,



Juris originem non aliunde petendam esse, quam ab ipso Jove, a quo Jovis nomine, Jus Latinis dictum, probabiliter dici posse H. GROTIUS l. c. opinatur. Optima et commodissima Juris derivatio est *secunda*, quae a *Justo* desumitur. Competit enim haec etiam moralibus naturalibus, praescindendo a Lege, ad quam prima et tertia videntur inclinare.

## XLIV.

*Homonymia* Juris varia est eamque describit PVFEND. *de Jure N. et G. lib. I. cap. I. §. 20.* Vel enim Jus idem est, ac Lex et Systema Legum homogenearum, vel sententia a Iudice lata, vel qualitas moralis activa, vel passiva, vel imperandi vel possidendi aliquid, quae quidem acceptio strictior est re ipsa, alias in se vera. Porro vel late sumitur, et per analogiam, quando inclinationem homini et brutis communem notat, ut Ulpianus et Iulianus, qui eum sequuntur, describunt; quod tamen Jus proprie tale non est, cum non sit morale, sed naturale. Vel strictè accipitur, ut notet Jus rationale homini impressum et propriam, qua de re videri possunt ea, quae supradicta sunt §. 2. et lib.

## XLV.

*Synonymia* Juris haec vulgè ab Autoribus afferri solet prout illud vel *Jus universale* dicitur seu commune, quod omnes omnino obligat homines, nullo excepto. Vel prout *Jus Societate* vocatur, et illos respicit, qui in societate vivunt, quamvis ex parte tantum hoc Synonymum sit. Vel etiam prout appellatur *Jus Noachidarum*, uti ab Hebraeis, quatenus in illo septem praecepta Noachica contineri dicuntur, de quibus CVNNAEVS *de Republ. Ebraeor.* pag. 172. et SELDENVS *de Jure N. et G. cap. 10. pag. 88.* qui ea sequente ordine recenset.

I. de Cultu extraneo

II. de maturatione Nominis Sanctissimi seu Numinis

III. de effusione Sanguinis seu homicidio

IV. de revelatione turpitudinum seu turpitudine ex concubitu

V. de furto ac rapina

VI. de pudicitia seu regimine forensi ac obedientia civili

VII. de membro animalis vivens non comedendo.

Quae tamen praecepta recte pro figmento habentur, neque normam constituunt, cognoscendi ea, quae Iuris Naturalis sunt, uti erudite hac de re pro more suo differit B. DN. DOCT. ZENTGRAVIVS de Orig. Ver. et immut. rect. Iur. Nat. pag. 99. Denique etiam nonnulli bonum et aequum inter Synonyma Iuris referunt, quod in tantum admitti potest, in quantum aliquo modo conveniunt, quamvis etiam negari non possit, distingui Ius ab aequo et bono tanquam principium a principiato.

#### XLVI

Quod vero ad alterum attinet vocabulum, naturae nomine indigitarum, illud varios quoque sustinet significatus. Velenim sumitur pro *instinctu naturae*, qualis v. g. procreatio sobolis est. Vel sumitur pro *meris affectibus naturalibus vitiosis*, prout ex corruptione vitiosa naturae pullulant. Vel sumitur pro *causa prima* scil. Deo, quae acceptio iam apud Stoicos frequens fuit, uti Lipsius in *manuductione ad Philos. Stoicam* testatur. Vel sumitur pro *natura naturata*, qualis est cuiusque animalis in particulari. Vel sumitur *affectus* pro operatione Dei in mentibus nostris. Atque sic rursus tribus potissimum modis dicitur, vel *latissime* pro ordinatione divinitus praescripta, vel *late*, pro ratione seu indole, quam Deus praescripsit omnibus animalibus, vel *strictissime* pro ipsa humana natura. Hic loci *subiectivam et obiectivam* notat.

#### XLVII

## XLVII.

*Definitionem* Iuris Naturalis *Nominalem* excipit *Realis*. Quid igitur Ius Naturae sit? Iure quaeritur. Labet autem hic rursus accuratioris cognitionis ergo *primo* distinguere inter Ius Naturae et Legem Naturae. *Secundo* inter Ius et Iuris actum atque effectum. *Tertio* inter Ius et Iuris subiectum. *Quarto* inter Ius et Iuris obiectum. *Quinto* inter Ius et Iuris principium, *Sexto* inter principium essendi et cognoscendi. *Septimo* denique inter principium genuinum et spurium. Quibus observatis facile erit, ad modo datam, respondere quaestionem.

## XLVIII.

*Primo* distinguendum esse dico *inter Ius N. et Legem N.* quae duo communiter fere ab autoribus confunduntur. Sic PVFENDORFIVS passim *de Iure N. et G.* Ius cum Lege commutat, et pro synonymis habet, id quod in primis videre est *in lib. 2. cap. 3. §. 1.* cum quo et GVIL GROTIUS sentit *de Princip. Iur. Nat.* sed minus bene id fit. Ipsum enim *Ius a Lege* suam agnoscere differentiam nullum est dubium; quandoquidem *haec* citra respectum ad Legis latorem Deum esse nequit, *illud* autem ab hoc respectu praescindit, cum dentur actus, qui in se ius involvunt, et non praecise per respectum ad legem tales sunt, sicut supra §. 4. clare id demonstratum est. Quae-ritur autem hic *de Iure Naturae.*

## XLIX.

*Secundo* distingui debet *inter Ius et Iuris actum atque effectum*, quae confundit THOMAS *Sum. Theol. l. 2. q. 49.* quando id, quod in hominibus Iuris Naturae rationem habet, per modum *actus et discriminis actualis* inesse dicit, cum tamen *actus* sit aliquid transiens, Ius vero aliquid constans, et semper homini impressum. Vnde non

ipsum *dictamen actuale* est, quia tale non semper reperitur in homine, sed habituale, cuius intuitu homo nunquam est sine iure Naturae, quo mediante turpia fugienda, honesta vero facienda esse novit. Et quia talis *actus sive dictamen actuale effectus* nomine venit iuris Naturalis, colligitur hunc ipsum *effectum* suam dicere discrepantiam ab ipso *iure Naturae*, tanquam *causa*, de qua in praesenti etiam disquiritur.

## L.

*Tertio* discrimen observandum est *inter Ius et Iuris subiectum*, quum *subiectum*, non illico inferat rationem iusti et morales, quae investigatur, sed *Ius* inseparabiliter cum esse morali coniunctum est, ita ut sine illo minime esse queat. Unde non de *subiecto Iuris naturalis* hic sermo est, sed ipso *iure Naturae*, iuxta quod, tanquam normam et regulam humanae actiones institui, hominesque in quantum convenientem naturae rationali et sociali vitam agere volunt, incedere debent.

## LI.

*Quarto* attendenda est differentia *inter Ius N. et Iuris N. obiectum*, quod vel *informationis* dicitur, cuius nomine universum genus humanum venit; quatenus sub Divino imperio conservandum, seu ut aliis placet loqui, universa generis humani societas sub Divino Imperio. Vel *traditionis* est, quod leges respicit naturales, quarum Auctor DEVS est immediate, et quas inscripsit in corda hominum, et per traducem inter homines propagatur. De utroque *obiecto* hic in praesenti non quaeritur, sed de ipso *iure Naturae*

## LII.

*Quinto* distinctio intercedit *inter Ius N. et Iuris N. principium*, quod naturae humanae titulo venit, quatenus rationa

tionalis est. Hæc enim potius ratio et fundamentum est, quare aliquid sit faciendum, vel non, quam ius ipsum. Ideo enim quia homines rationales sunt, naturæ quoque rationali convenienter illos vivere decet, et nil indignum ratione recta committere; quæ tamen ipsa natura rationalis non obligat per vim legis, dum non legaliter actiones prohibet malas, sed realiter, quatenus cum illa moraliter sunt impossibiles, et summam dicunt disconvenientiam. Vnde rursus hic de *Iure N.* non autem *principio iuris N.* sermo est.

## LIII.

*Sexto* probe discernendum est *Principium iuris N. essendi* ab ipso *principio cognoscendi*. Sic humana natura quæ socialis, *cognoscendi principium* dici quidem potest, sed non *essendi*, quamvis nec simpliciter prius enunciari possit, quod socialitas sit principium genuinum et adæquatum, ex quo omnia iuris Naturalis præcepta deduci possint, cum negari nequeat, quod dentur quaedam præcepta, quæ ex socialitate non fluunt, neque directe ex illa probari possunt.

## LIV.

*Septimo* denique *principium iuris N. genuinum* non est confundendum cum *spurio*, quod sæpius a multis fieri solet, qui instinctus homini naturales regulam iuris N. faciunt. Verum enim vero prima naturæ non sunt attendenda, quum non proveniant a facultate homini propria, sed ipsi communia sunt cum brutis, et sæpius proficiuntur ex concupiscentia vitiosa, quam omnino ratio præcedere debet, quæ prius et potius audienda est, quid dicat atque iubeat. Vnde male HOBBSIUS iuris N. originem ex hominum ferocia et mutua laedendi voluntate deducit, quandoquidem non solum per accideas tantum

tum haec iuris origo dicenda esset, imo ne origo quidem, nedum norma sufficiens, aut incorrupta, uti supra §. XXXI id iam probatum est.

## LV.

Praemissis praemittendis respondetur nunc ad quaestionem, quid Ius Naturae sit? hunc in modum: Ius Naturae quatenus diversum est a lege, a Iuris actu, subiecto, principio siue vero siue falso, est qualitas moralis, orta ex ipsa rerum natura, apta ad iubendum et verendum ad civilem felicitatem consequendam. *Generis* loco qualitas ponitur, quae accidens notat, uti ex Logicis constat. *Differentia* petitur a conceptu contrahibili, qui est forma moralis. *Causam efficientem* ipsa rerum natura sistit, non quidem physice considerata, sed moraliter. *Effectum* expriment haec verba, apta ad iubendum et verendum, quae obligationem realem in se continent. *Finis* denique Felicitatis moralis nomine venit, quae finem in hac vita ultimum sistit, ut hoc modo praescindatur a religione naturali, quae non sufficit, ut quis salvetur. Neque enim iure Naturae aut etiam Lege quenquam viam salutis consequi posse, certum est. Alias Ius Naturae etiam sic defini solet, quod sit prudentia, quae ex principiis practici nobiscum-naris et legibus naturalibus hominum mores, actiones et externam disciplinam in univérſi generis humani felicitatem dirigit.

## LVI.

Caeterum dupliciter aliquid Iuris Naturae dici solet, vel *absolute*, quod semper et ubique in omni rerum statu sic se habet. Sic Deum esse colendum, sancte iurandum, item nullum periurium faciendum, semper et simpliciter vera sunt. *Vel secundum quid*, sub certa conditione et sub certo rerum statu. Sic v. g. in statu primitivo innocentiae

centiae nuditas homini non dedecori censebatur, sed illi honori erat. Iam autem nudata rerum facie et amissa imagine Divina, Sapientia atque iustitia, homini nuditas in dedecus et turpitudinem cessit, et propterea velanda et tegenda est. Hoc ipso tamen Ius Naturae mutatum non est. Distinguendum enim est inter mutationem ipsorum praeceptorum, et inter obiectum praeceptorum. Quod ad praecepta ipsa Iuris Naturae attinet, illa integra manserunt, utpote, quae immutabilia sunt, obiectum autem Iuris Naturae mutatum est.

LVII.

Vnicum adhuc restat in tractatione Iuris Naturalis prooemiali examinandum, quod *Divisionem* spectat. Sicut autem aliae Philosophiae partes considerantur vel generaliter et in communi, vel specialiter et in particulari, ita et Ius Naturae eandem agnoscit divisionem, *Partis* Iuris Naturalis *communis* principia in genere tradit, et de officiis agit omnibus hominibus communibus. *Partis* vero Iuris Naturae *propria* principia in specie tradit ad certos status applicata, et officia examinat, concernentia homines in speciali aliquo statu viventes, v. g. maritali, herili, de quibus in sequentibus dicendi locus erit.

TRACTATIONIS ESSENTIALIS  
CAPVT PRIMVM.  
DE  
FINE IVRIS NATVRALIS.

LVIII.

Explicatis hactenus iis, quae ad Prooemia Iuris Naturae spectant, ordine nunc transitus fit ad ipsam Iuris Naturalis *Tractationem essentialem*, de qua prolixior disse-

differendi occasio erit. Primum autem caput eius faciet, quod est de *fine*. Quaeritur igitur, *Quis sit finis Juris Naturae?* Vbi rursus distinguendo respondeo, *primo* inter finem ultimum et intermedium, *secundo* inter finem internum et externum. Et denique *tertio* inter finem  $\bar{u}$  et finem  $\bar{z}$  de singulis pauca.

LIX.

Quod igitur ad distinctionem *primam* attinet *inter finem ultimum et intermedium*, necessaria illa est propter subordinationem finium, de qua B. D. SCHALLERVS, *Professor quondam Argentoratensis celebris*, peculiarem Dissertationem edidit. Non minus ipsa finium natura hanc postulat distinctionem, cum alius scilicet: ultimus pure se habeat ex genere causae moventis et impulsivae, alius vero simul ut causa quaedam efficiens ex parte ut movens. Denique etiam necessitas distinctionis huius ex eo patet quia in alio appetitus vel ratio simul acquiescit tota, in alio non, sed ad ulteriora progreditur. Sed ne detur progressus in infinitum, *ultimus* datur *finis*. Quia autem nonnulla etiam movent, licet non terminetur in illis voluntas, datur quoque *intermedius finis*, de quo tamen hic sermo non est, sed de *ultimo*.

LX.

*Secundo* etiam iuvat distinguere *inter finem internum et externum*, quae distinctio pari modo necessaria est, et suo nititur fundamento, quia alius *extra nos* finis est, et ab aliis pendet, licet non positive et per se, tamen privative et per accidens; alius vero est finis, qui *intra nos* solus consistit, nec ad alios terminatur, *ille* non est in nostra potestate, sed *hic*. Differunt ergo *primo* latitudine principiorum, *internus* finis intrinseca, *externus* extrinseca et intrinseca poscit. *Secundo* latitudine obiectorum, *internus* unicum



cum vel pauca postulat, *externus* plura et totum complexum. *Tertio* integritate. *Internus* enim non simpliciter acquiescit, sed relinquit post se appetitum. *Externus* terminat fere eundem. De *hoc* autem hic quaeritur, non de *illo*.

## LXI.

Denique *tertio* alius est *finis*  $\bar{\nu}$ , et alius *finis*  $\bar{\nu}$ , quae distinctio uti priores suo gaudet fundamento. Dicitur autem *finis*  $\bar{\nu}$ , cuius gratia aliquid fit, ita ut praecise sic consideretur, non simul ut subiectum, cui aliquid procuratur. *Finis* vero  $\bar{\nu}$  subiectum dicitur, cui aliquid acquiritur, *ille* v. g. sanitas est in curatione, *hic* autem homo, qui sanitatem intendit. De *priori* in praesenti quaeritur, non vero de *posteriori*.

## LXII.

Finis igitur Iuris Naturalis ultimus, *externus*, et  $\bar{\nu}$  nunc nihil aliud est, quam felicitas moralis in societate seu salus communis omnium hominum. Quia *primo* omnis actio et omne ius est propter finem, idque quo universalius, et universalior finis est. *secundo* quia speciales leges et iura ad specialem civitatem et statum pertinent. Ius ergo universi ad omnes, et proinde ad *εὐδαιμονίαν* totius generis humani. Esse autem eiusmodi felicitatem, facile probatur. Quis enim est finis singulorum in specie, is quoque est omnium in genere, dum a natura speciei generica ad genus ipsum eiusque naturam recte concluditur. Non minus etiam ex eo patet, quia natura hominis rationalis et socialis in rectam sui conservationem fertur, quae nihil aliud est, quam felicitas in genere.

## LXIII.

Vnde patet, quod non de fine Iuris Naturalis *externo* illi loquantur, qui assimilationem cum Deo finem esse aiunt, sed de *interno* atque *communi*. Nam *assimilatio*  
cum

cum Deo universalis omnium disciplinarum finis est, tam theoreticarum quam practicarum. *Illae* enim pro fine habent scientiam, quae conformitatem intellectus et iudicii Eius cum rebus ipsis sectatur, quae perfectissime et eminentissime in Deo est, adeoque huic se conformare cupit. *Haec* vero praxin et actionem respiciunt, quae potissimum rectitudinem voluntatis intendit, et quidem efficaciter in ipso opere, quae rectitudo voluntatis in DEO Eius Sanctitas est, ab omni imperfectione libera. Sic itaque omnia ad assimilationem cum DEO tendunt, ut finem universalem et communem.

LXIV.

Quid finis Iuris Naturae externus sit, et in quo consistat, dictum haecenus est. Iam de fine interno quaeritur, *An finis ultimus internus sit conscientiae tranquillitas?* Vbi primo distinguo inter finem, et finis adiunctum, de illo sermo est, non vero de hoc, siquidem tranquillitatem conscientiae non ipsum finem sed adiunctum finis esse, multi concedunt. *Secundo* intem finem ipsum Iuris Naturae et Iuris Nat. effectum, quae duo quidem saepe unum sunt quoad materiale, sed quoad formale et gradus perfectionis discrepant. Nam effectus quatale est, qui et extra conceptum existentiam habet, et postremum est, sed finis in intentione ab existentia praescindit, et prior est effectui, et formaliter differt, quia movet ad producendum effectum, non autem effectus ad producendum finem. Hic autem non de effectui Iuris Naturae quaeritur, sed de fine. *Tertio* inter finem et praemium, quae quoad rem saepe etiam coincidunt, sed tamen formaliter differunt. De priori sermo est, non vero praecise de posteriori. *Quarto* denique inter conscientiae dictamina et tranquillitatem, haec hic intenditur, non vero *illa*.

Affirmatur ergo quaestio, et finis ultimus internus distinctus ab adiuncto finis et ab effectu Iuris Naturae recte dicitur tranquillitas conscientiae, quatenus differt a norma et a suis dictaminibus. Quia *primo* in hac vita proprium et ultimum Iuris Naturae est intentum, quod in potestate hominis est, parit etiam laetam ante actorum memoriam et spem futurorum optimam, in utroque autem quies animi est et *αὐτάγθεια*. Hoc ipso tamen minime statuo, Ius Naturae sufficere ad aeternam vitam consequendam; Alias enim id et illi statuerent, qui assimilationem cum Deo finem Iuris Naturae faciunt. Et licet hic finis, qui in tranquillitate conscientiae consistit, intendatur a Iure Naturae; non tamen plene a nobis acquiritur in statu iam destitutionis et corruptionis. *Secundo* quia est extremum et optimum iudicium recte factorum a posteriori. In hac enim vita internus iudex nullus alius datur, cum nemo cognoscere possit conscientiam, nisi solus Deus, et aliter non manifestatur, quam in extremo iudicio. Adeoque et optimum est. Quis enim finis quoad mensuram bonitatis, tale quoque medium est, et vera conscientiae tranquillitas non potest nisi ex actionum bonitate oriri. *Tertio* quia est praemium bonarum actionum et Iuris Naturae, quod certo non datur, nisi obtento fine, ut in cursoria arte vel certaminibus aliis. *Quarto* denique, quia unicum est, quod sustinet hominis omnimodam et maximam etiam infelicitatem.

## LXVI.

Praeter ultimum autem hunc Iuris Naturae finem, adhuc alius datur finis, qui intermedius vocari solet, eo quod ad ultimum ducit. Quaeritur ergo de hoc, in quo consistat, an recte exercitium honesti, quod conforme est  
attribu-

attributis Divinis Sanctitati scilicet et Iustitiae, seu assimilatione cum Deo dicatur? Respondetur rursus distinguendo, *primo* inter assimilationem seu conformitatem spiritualem seu Theologicam et naturalem seu Ethicam. *Secundo* inter exaequationem et assimilationem. *Tertio* inter assimilationem omnimodam et qualemcunque. *Quarto* inter assimilationem substantialem et accidentalem. *Quinto* inter assimilationem sub ratione finis praecise spectatam et spectatam simul sub ratione medi. *Sexto* inter exercitium honestum et honesti. Et denique *Septimo* inter assimilationem et immutationem.

LXVII.

*Primo* puto distinguendum omnino esse inter assimilationem vel conformitatem, quae spiritualis seu Theologica dicitur, et inter eam, quae naturalis seu Ethica vocatur, Idque propter diversitatem ipsius Theologiae atque Ethicae, quandoquidem non solum ratione principiorum, sed etiam ratione finis differunt. Sic in Theologia revelatio locum habet, in Ethica vero et Philosophia ratio regnat; illa monstrat viam ad aeternam Beatitudinem consequendam, haec eo usque non progreditur, sed felicitatem tantum huius vitae pro scopo habet. Vnde hic non de spirituali quaeritur assimilatione, sed naturali, et quidem non physice, sed Ethice ac moraliter considerata.

LXVIII.

*Secundo* probe etiam discrimen est tenendum inter exaequationem et assimilationem. De hac hic sermo est, non vero de illa, cum impossibilis sit propter naturae corruptionem, quam etiam Gentiles agnoverunt. Non minus propter Naturae Divinae independentem Infinitatem et immensam Bonitatem, porro propter eius essentiae cum Bonitate identitatem. Denique propter virium nostrarum

rum imbecillitatem, quae in rebus Theologicis debilitatae atque corruptae sunt, consequenter etiam illas exaequatio longissime transcendit.

LXIX.

Tertio distingui debet *inter assimilationem omnimodam et quatenuncunque*, non prior huius loci est, sed posterior, et quidem ob rationes modo allatas, cum post tristissimum primorum Parentum lapsum *qualiscunque* saltem in hominem cadat *assimilatio*, quam exercitio honestarum actionum obtinet, et in quantum secundum legem Naturae vivit, quae rivulus est Divinae Sanctitatis atque Iustitiae et ad rudera resplendentis in anima nostra Sanctitatis Divinae pertinet.

LXX.

Quarto iuvat distinguere *inter assimilationem substantivam et accidentalem*, illa impossibilis est, et non datur in creaturis, sed de *accidentali* quaeritur ex parte nostri, et assimilatione quadam externa ad exemplar Divinum et Divina attributa instituenda, quatenus creatura rationalis assimilatur Creatori, in quantum iustam et sanctam agit vitam, salva tamen ista eminentia, qua Creator infinitus creaturam suam post se relinquit, eaque longe superior est.

LXXI.

Quinto discrimen est observandum *inter assimilationem sub ratione finis praecise spectatam, et spectatam simul sub ratione medii*, quod ex eo patet, quia finis intermedius simul rationem aliquam medii habet ad finem ultimum. Non autem de *sine praecise spectato* hic quaeritur, siquidem exercitium honesti ultimus finis esse nequit, quia in eo non acquiescit appetitus, sed de *sine intermedio* sermo est, qui in exercitio honesti consistit, quandoquidem adhuc rationem causae habet producendi effectum ulteriorem.

LXXII.

## LXXII.

*Sexto* necessarium quoque est distinguere *inter exercitium honestum et honesti*, quandoquidem *illud* ab obiecti honestate vel turpitudine intrinseca excludit, *hoc* autem simul includit illud. Deinde etiam *prius* circa indifferentia proprie versatur, at non item *hoc posterius*, cum ius Naturae proprie non sit indifferentium, quae neque praecepta, neque prohibita sunt, sed circa moralia versetur, quae vel honesta, adeoque praecepta et facienda, vel turpia, adeoque prohibita et fugienda sunt.

## LXXIII.

Denique *septimo* recte distinguitur *inter assimilationem et immutationem*, id quod suum in Theologia obrinet usum in controversia cum Weigelianis. Quaeritur autem hic non de *immutatione*, sed de *assimilatione*, nisi immutatio accidentalis intellectus et voluntatis intelligatur, quae admitti potest. Neque de *assimilatione* nuda potentiali seu dispositiva tantum, sed et actuali et habituali, sermo est, et quidem de habituali acquisita, non infusa, quia in actione consistit, per quam homo felicitatem obtinet.

## LXXIV.

Praemissa hac vocum declaratione, distincte nunc ad quaestionem motam sic responderi potest, nimirum: Finis internus intermedius Iuris Naturae non est immutatio substantialis et exaequatio, sed *assimilatio* qualiscunque accidentalis, seu exercitium honesti, sub ratione quoque medii spectatum. Quia *primo* hoc ipso acquiritur conscientiae tranquillitas, et *secundo* ratione executionis Iuris naturae finis primus est, porro *tertio* testimonia sapientum etiam ethnicorum id probant, et denique *quarto* illud quoque *inter fines* censetur, quod proxime

H

ad

ad prototypum refertur, scilicet ad Divinam Sanctitatem et Iustitiam.

## LXXV.

Quod ad primam attinet rationem, puto illam extra omnem dubitationis aleam positam esse, cum sine exercitio honesti vera conscientiae tranquillitas obtineri nequeat, sed illud medium legitimum et unicum sit ad consequendam hanc felicitatem, a qua certe illi longissime remoti sunt, qui vitiis indulgent, vitamque honestati atque moribus repugnantem agunt, quandoquidem huius conscientia reclamatur, quae proinde nunquam non irrequieta est. Ceterum, quia exercitio honesti conscientiae tranquillitas non semper obtinetur actu secundo, licet actu primo obtineri possit, manifestum est, illud etiam rationem quandam finis habere.

## LXXVI.

Non minus *secunda ratio* valida est, quando exercitium honesti ratione executionis Iuris Naturae *finis primus* dicitur, quia Ius Naturae primo docet convenientiam circa obiectum suum, ex rei ipsius natura ortam, ex qua convenientia sequitur Ius et obligatio realis ac valor moralis aestimabilis, et hinc potentia moralis ad agendum; quandoquidem ista convenientia sub ratione boni (Bonum enim est, quod naturae principiis conveniens) proponitur, hinc appetit voluntas, neque quiescit, sed agit. Inde ipsum exercitium est *finis*, sed, quia hic propter alium appetitur a voluntate, qui magis *finis* est, recte *intermedius*, non vero *ultimus*, vocatur.

## LXXVII.

*Tertia* quoque, hanc assimilationem seu conformitatem creaturae rationalis cum Creatore hominis finem esse, ipsi Gentiles suis comprobant testimoniis, ut v. g. Pytha-

Pythagoras, Plato, Aristoteles, aliique, quorum verba B. DN. D. ZENTGRAVIVS, in *lib. de Orig. Verit. et immut. rect. Iur. Nat. pag. 313. et seq.* adduxit. Sic autem Platonem docuisse testatur ex Gentilibus Plutarchus *T. I. Opp. f. 550.* σιοπεῖτε πρῶτον, ὅτι κατὰ Πλάτωνα, παντῶν καλῶν ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα θέμενος, τὴν ἀνθρώπινην ἀρετὴν ἐξομολώσιν ἴσασιν ἀμασγέπως πρὸς αὐτὸν ἐνδίδωσι τοῖς ἐπειθαυθεῶν δυναμένοις. Considerate primum, quod, Platone autore, DEUS se in medio exemplar omnium bonorum cum proposuisset, humanam virtutem, qua homo similis Deo aliquo modo saltem redditur, parandam concessit his, qui Deum sequi possunt. Quae sane verba satis assimilationem hominis cum DEO innuntant, ad quam exercitio honesti atque virtutum pervenire valet.

LXXVIII.

Quarto denique nullum est dubium, quin exercitium honesti *finis* nomine veniat, cum omnino illud inter *finis* referri debeat, quod proxime ad prototypum accedit. Iam autem hoc fit exercitio iusti et honesti, quo homines Deo assimilantur. Vnde id ipsum quoque *finem* esse oportet. Sic etiam valet in moralibus regula, quod *bonum* et *finis* reciprocentur: aut nemo negabit, exercitium iusti *bonum* quid esse, unde consequenter etiam *finis* erit.

LXXIX.

In quo autem *Assimilatio* haec consistat, et quibus absolvatur partibus, iure hic quaeri potest? Communis sententia tres ipsi assignat partes, quarum *prima* cultum Divinum, *secunda* Φιλανθρωπίας, *tertia* socialitatem, respicit. Quod *primum* ad cultum attinet Divinum, istam in scriptura, quam Natura, fundatus est. *Primum* Gentium Do-



etor ad Roman. cap. I. v. 21. his verbis innuit: *Διότι γνόν-  
τες τὸν Θεὸν ἔχ' ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν.  
Propterea quod, cum Deum cognoverint, non ut Deum glorifi-  
carunt, neque grati fuerunt.* Vnde ab ipsis Gentilibus Deus  
requirebat cultum sibi debitum, quem, ex inscripto cordi-  
bus ipsorum lumine colligere potuerunt, Divino deberi  
Numini, quod aeterna praeditum est potentia. *Posterius*  
autem ex eo patet, quia homo connata habet principia  
practica, non tantum ad secundam, sed etiam primam  
Decalogi tabulam pertinentia, quae cultum Dei ab ipsis  
hominibus exigit, qui Divinae responderè debet essentiae.

LXXX.

*Secundo etiam Φιλαυτία, seu Amor sui ipsius, ad fi-  
nem Iuris Naturalis seu assimilationem pertinet. Homo  
quidem naturaliter se ipsum amat, sibi que bene cupit; ve-  
rum ad perfectam hominis Beatitudinem non satis est,  
ut ab aliis non laedatur, sed requiritur etiam, ut se ipsum  
non laedat. Talia enim, inquit Pythagoras, homo face-  
re debet, quae ipsi non nocent. Atque haec ipsa Φιλαυτία  
a Iure Naturae praecepta est, quod proximum diligere  
iubet, sicut se ipsum. Qua de re eleganter differit Iusti-  
nus Martyr, Dial. cum Tryph. f. m. 251. ὁ τὸν πλησίον  
ὡς ἑαυτὸν ἀγαπῶν, ἀπερ' αὐτῷ βλάπεται ἀγαθῶ,  
κακίῳ βληθήσεται ἔδειξ δὲ ἑαυτῷ κακὰ βληθήσε-  
ται. ταῦτ' ἐν τῷ πλησίον εὐξαιτ' ἂν, καὶ ἐργά-  
σαιτο γενέσθαι, ἀπερ' καὶ ἑαυτῷ, ὁ τὸν πλησίον ἀ-  
γαπῶν. Πλησίον δὲ ἀνθρώπων ἔδεν ἄλλο ἐστίν, ἢ  
τὸ ὁμοιοπαθὲς καὶ λογικὸν ζῶον, ὁ ἀνθρώπος.  
Cui proximus perinde, atque ipse sibi, est, is, quae sibi i-  
psi obvenire vult, eadem illi optarit commoda. Nemo certe  
quidem*

quidem sibi ipse male vult, proinde proximo precabitur et prae-  
 habet, quaelunq; sibi ipse expetat, proximum diligens. Homo-  
 ni autem propinquitas est nihil quam iisdem perpeffionibus ob-  
 noxiunt et ratione praeditum animal, homo.

LXXXI.

Denique tertio finis Iuris Naturalis ipsam quoque  
 socialitatem intendit, quae complectitur felicitatem vitae  
 socialis. Debet enim homo vivere cum aliis, quia natu-  
 ra animal sociale est, et ad talem societatem Deus illum  
 condidit, natura instruxit, ratio deduxit, et oratio copu-  
 lavit. Si igitur debita consociationis cum aliis observat  
 officia, quae ex ἀνταρκεία fluunt, ut suis contentus vi-  
 vat, aliis quoque sua tribuat, nec alienis inhiat, vel ea sibi ad-  
 scribat, quae proximi sunt, hoc ipso DEO conformatur.  
 Μάλισα γὰρ ἀγαλμα θεῖον, καὶ θεῶ προσεμθε-  
 ρές, ἀνθρώπος δικαίς ψυχῆ. Imago enim valde Divi-  
 na et Deo similis est viri iusti anima, ait Clemens Ale-  
 xandr. VII. Strom. fol. 708. qui egregie Philosophiam hanc,  
 quomodo homines Deo assimilentur, pertractat.

LXXXII.

Quamvis vero socialitas a Iure Naturae intendatur et  
 praecepta sit, minime tamen vel sufficiens, vel primarius,  
 vel adaequatus finis dici debet normativus obiectorum  
 Iuris Naturalis in latitudine sua. Tantum enim abest, ut  
 ipsa possit esse regula et norma totius Iuris Naturalis, ad  
 quam omnes humani actus dirigantur, ut potius plura den-  
 tur officia atque praecepta, quae exinde derivari non pos-  
 sunt. Sane si quis de officio Deo debitu et Nobilissimam Iu-  
 ris Naturalis partem constituentibus, sit sollicitus, non suf-  
 ficiet socialitas, ex qua deducantur, cum, quid Deo debea-  
 mus, non ex ratione utilitatis, et necessitatis socialis inru-  
 tu,

tu, sed ex ipsius Divini Numinis consideratione disci oporteat. Ut proinde religio atque cultus per natura n Deo debitus minime ex Socialitate, tanquam ratione fundamentali, deduci possit. *Non enim* (verba sunt E. DN. DOCT. ZENTGRAVIL in lib. de Orig. Ver. et immut. Re&. Jur. Nat. pag. 129. ) *ludendum est cum religione, quasi pro ratione status ea formanda esset, vel eeu medio Politico ea abuti liceret ad terrorem simplici plebi incutiendum. - - - Taceo, quod religio, quae ad societatem unice referri, et ex ratione socialitatis vitaeque socialis conservatione formari, societatumque efficacissimum vinculum esse debet, ex rationis sibi relictae, in rebus ad Divinum cultum pertinentibus caecae, et hinc facile aberrantis, ductu in turpissimam degeneret idololatriam, cuius rei famosa illa πολυθεότης gentilis testis est, quam ex ratione status introductam esse, ex historia Romana et Graeca satis constat.* Non ergo Divinus cultus socialem proprie respicit vitam, sed potius piam sedulamque Divinorum attributorum considerationem, quae cum per naturam nobis innotescant, Ius quoque Naturae docet, quid Deo debeamus, nempe ut Ipsum glorificemus.

LXXXIII;

Neque etiam ex hac *socialitate*, tanquam fundamento et adaequata ratione, fluunt officia, quae, *sibi ipsi* debet homo, sed potius haec sunt fundamentum socialitatis et officiorum, quae quis proximo debet. Sic temperantia, innocentia, ad quam omnis homo a Summo obligatus est Numine, non *socialitatem* agnoscunt, ex qua deducantur, sed *ἐαυτοφιλίαν*, quae norma quoque est et mensura eorum, quae quis aliis tribuere debet hominibus, cum unusquisque proximum diligere debeat, sicut se ipsum. Atque sic haec ipsa philaphria principium et fundamentum est vitae socialis atque conjunctionum, quae factam in societatis

taribus maioribus quam minoribus, exerunt. Quo stante certe non video, quomodo Socialitas ea complectatur et praecipiat, quae nobismet ipsis debemus.

## LXXXIII.

Quod denique ad *officia adversus alios* homini observanda attinet, puto neque haec omnia ex socialitate deduci posse. Constat enim ex Historicorum monumentis, multa apud quasdam gentes fuisse impune concessa, quae inter grandia apud nos recensentur flagitia. Quem enim eruditorum fugit, Athenientibus olim usui fuisse, germanam ducere sororem in matrimonium? Quis ignorat, aliis populis nulli versum fuisse vitio, si Pater coiret cum filia, et maritus cum alterius concumberet uxore, quae tamen summam involvunt turpitudinem, et actus ab omni honestate remotissimi sunt, nihilominus tamen salva societate humana commiffi. Quomodo ergo actuum horum turpitudine ex socialitate tolli demonstrari possit, pervelim scire.

## CAPVT SECVNDVM.

DE

SVBIECTO SEV FINE MEDIA-  
TO IN GENERE.

## LXXXV.

Explicato haecenus Iuris Naturae *sine*, caput eius primum constituyente, ad secundum nunc progredior, in quo de *subiecto seu fine* et quidem *mediato ac in genere primo*, agendum erit. Quaeritur itaque, *quodnam sit subiectum Iuris*

*ris Naturae* ? Vbi ad feliciorē responsionis rationem prius sic distinguendum esse puto. *Primo* inter subiectum et obiectum. *Secundo* inter subiectum informationis et considerationis. *Tertio* inter subiectum rationale et irrationale. *Quarto* inter subiectum in statu institutionis et destitutionis. Et denique *quinto* inter subiectum et principium Iuris Naturae.

## LXXXVI.

Quod ad primam attinet distinctionem, passim illam in Philologia fundatam cernere licet. Non quidem negari potest, hominem et *subiectum* esse posse, sed id non sine diversitate respectus est. *Subiectum* enim audit, prout solus sigillatim spectatur sine relatione, *obiectum* vero dici potest in relatione ad sui principium, naturam, finem. Porro recte etiam homo *subiectum* dicitur, prout in se habet fundamentum moralitatis, non vero prout in se habet principium Iuris Naturae. Sicut ita in Physica scientia homo et *subiectum* et *obiectum* partiale est, verum diverso sub respectu. Non quaeritur hic de *obiecto*, quod est, circa quod *subiectum*, vel forma, subiecto infundenda, occupatur, sed de *subiecto*, quod ipsam formam recipit.

## LXXXVII.

Pari et *secundo* opus est distinguere inter *subiectum informationis et considerationis*, quandoquidem *hoc* latiorē agnoscit ambitum, quam *illud*. Certum enim est, solum hominem *subiectum informationis* esse posse, quia solus est capax *informationis* in Iure Naturali, ut ipsi convenienter vivere possit: bestiae vero cum ratione destituantur, ab hac *informatione* etiam sunt exclusae, minime autem a *consideratione*, quin potius recte ad ipsum *considerationis subiectum* referuntur. Sermo autem hic est de *subiecto informationis*, non *considerationis*.

## LXXXVIII.

Tertio observari meretur discrimen inter *subiectum* *naturale* et *irrationalis*, hoc longe inferius est illo, cum ad tantam dignitatem ab optimo Creatore non sit evectum, sicut homo, quem ratione praeditum Divina voluit Bonitas, ut non solum verum cognoscere, sed etiam bonum scire valeat. Verum neque intellectus, neque voluntas in bruta cadit, quae proinde omnis disciplinae incapaces existunt, ipsaque libertate destituntur, quae fundamentum audit moralitatis. Intelligitur autem hic disciplina proprie sic dicta rationalis per discursus intellectus non phantasiae, ut est in vulpe, glaciem teptante. Non de *irrationali* hic quaeritur subiecto sed de *rationali*.

LXXXIX.

Quarta probe distinguendum est *subiectum* in *statu institutionis* et *subiecta* in *statu destitutionis*, prior status alias perfectionis dicitur, posterior vero corruptionis vocatur. In illo homo adhuc erat integer, et pro ratione creaturae Deo similis, quam vero similitudinem lapsu suo amisit, ita tamen, ut adhuc aliquas retineret reliquias illius imaginis, quae sunt lumen naturae; quam in rem conferri meretur S.B. SCHMIDII *Traſtatus de Imggine Dei*. Quaeritur autem hic *de homo secundum statum perfectionis sine institutione, an corruptionis sine destitutionis considerandus sit*. Vbi non eadem omnium mens atque opinio est. Putat enim DN. STRIMESIVS in *Praxi* suae hominem iuxta *statum perfectionis* considerandum esse, sed melior est sententia eorum, qui hominem iuxta *statum corruptionis* considerant; quod quidem Lex Naturae dirigit hominem, qualis nunc est, non qualis olim fuit, nunc autem est *corruptus*.

LXXXX.

Quinto demum distinguendum debet, inter *subiectum* et *principium*

*capitulum Iuris Naturae*, quae alias quidem a nonnullis confundi solent, sed necessaria est haec distinctio propter discrimen utriusque, et conceptus diversos; siquidem *principium* non solum prioritatem supponit; quod subiectum non facit, sed etiam infert relationem cum alio dependente, praescinditque a rationali et irrationali, minime vero *subiectum*. Unde de *hoc* hic loci sermo est, non autem de *principio*.

LXXXXI.

Praemissis hisce vocabulorum distinctionibus, respondetur nunc ad quaestionem supra propositam, hunc in modum: Iuris Naturae subiectum informationis et rationale, distinctum ab obiecto et principio est homo in statu destitutionis. Quia *primo* solus est capax obligationis. *Secundo* solus est capax finis. *Tertio* a natura necessariis instructus est medius. Et denique *quarto*, quia dirigitur a *Iure Naturae*, ut iustum est.

LXXXXII.

De *prima ratione* plane nullum est dubium. Valet enim consequentia ab obligationis capacitate ad rationem subiecti quoad existentiam subiectivam, quia ab effectu ad causam recte colligitur. Obligatio autem est effectus Iuris Naturae, et solus est homo capax propter solitariam rationalitatem et vim parendi. Haec vere capacitas ad sola moralia naturalia spectat, non autem ad spiritualia, ubi homo non habet vim parendi Legi Divinae secundum interiorem hominem, obligatur tamen a Iure, quamvis affirmative non tamen negative etiam in spiritualibus procedat, si vim parendi in ampliatione accipias, non autem in statu.

LXXXXIII.

Non minus *secunda ratio* valida audit. Solus enim homo

homo est **capax** felicitatis internae, quae cum gaudio et *ἀνταρξία* atque rationabilis certitudinis notitia coniuncta est, et conscientia sibi de bene factis gratuletur, et haec tranquillitatem eius ut infallibilem habeant comitem. Non enim talis felicitas in imaginatione est fundata, sed a priori innotescit ex causis, hominique propria relinquitur, quia is solus est, qui honestum discernere valet a turpi.

## LXXXXIII.

Sic etiam rationis *tertio loco* allatae fundamentum solidum est, siquidem Deus et natura nihil faciunt frustra. Esse autem hominem eiusmodi mediis necessariis instructum, facile exinde probatur; quia anima gaudet rationali, et ex principiis intrinsicis immortalis, unde et tali, quae ad principium de iure tendit, idque cum sit ens perfectissimum, quia primum, perfectionem imitationis aemulari debet, quo in eius fine communi particeps fiat. Tum quia indigentia humana ad socialitatem instigat, unde finis externus felicitas, cui bono sermo datus est, data est item agendi libertas quoad contradictionem et contrarietatem, itemque humanae naturae cum Iur. Nat. dictatis conformitas et conservatio sui, quae omnia concessa homini a natura media satis confirmant.

## LXXXXV.

*Quarta* denique *ratio* ex eo suum obtinet robur, quod Iuris Naturalis doctrina non est idealis Platonica, sed realis, consequenter ut talis existentiam spectat actua-lem extra conceptum, et in statu se habet, non in ampliatione. Essentia quidem cadit sub Iuris Naturae tractationem, sed ut obiectum vel principium, quatenus praescindit ab existentia, verum non ut subiectum; quandoquidem subiectum informationis realis in statu se habet, et revera existere debet.



## LXXXVI.

Hactenus de *subiecto* Iuris Naturae in genere actum est, sequitur nunc, ut agatur de *subiecto seu homine in specie*, eiusque facultatibus atque potentiis. Quaeritur igitur quot sint facultates hominis huc pertinentes, quatenus ut subiectum consideratur? Vbi rursus distinguendo respondeo: *primo* inter subiectum directe et indirecte huc spectans. *Secundo* inter facultatem huc pertinentem per se, et per accidens. *Tertio* inter facultates rationales et irracionales, Et denique *quarto* inter facultatem cognoscentem et eligentem.

## LXXXVII.

Omnes hae datae distinctiones suo nituntur fundamento. Quod enim ad *primam* pariter atque *secundam* attingit, ratio utriusque haec est, quia etiam appetitus quandoque et nutritio concurrunt ad subiectivam rationem hominis in Iure Naturae, sed id indirecte fit, et tantum per accidens. *Tertio* autem distinctio necessaria est propter diversas subiecti rationalis et irracionales actiones, dum brutorum actiones proveniunt ex simplici naturae inclinatione, hominum autem ex sensu obligationis uti *Celeberrimus* loquitur PVFENDORF. *de I. N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 2.* Non minus etiam *quarta* distinctio solida audit, quandoquidem facultas cognoscentis et eligens non solum forma et obiecto, sed etiam fine atque perfectione distinguuntur.

## LXXXVIII.

Ex dictis iam facile quaestio modo proposita sic decidi potest, nimirum: Facultates hominis ut subiecti directe et per se sunt rationales dum Intellectus et voluntas. Quia *primo* hae duae solae sunt capaces rationis et obligationis. Et *secundo* quia solae sunt capaces libertatis, unde imputatio suum fundamentum habet. Vtrumque sequentibus in *sequenti* probabo.

## LXXXIX.

Et *primo* quidem, quia hae facultates sunt ipsa ratio, quatenus ratio non sumitur in sensu logico, prout est collectio plurium per discursum. Alias rationalitas illa recte dicitur, quia, dum iudicare potest, an aliquid conveniens vel disconveniens ad regulam vel obiectum, capax est obligationis ad illud sequendam et hoc fugiendum. Quam in rem legi meretur eruditus discursus *Celeberrimus* DN. PVFENDORF. *de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 1. §. 3.* qui hunc maxime in modum se habet: *Datum quippe est bonitati, ut non solum varias res, quae in hoc universo occurrunt, possit cognoscere, eas inter se conferre, et harum occasione novas sibi notiones formare: sed ut etiam possit prospicere, quid aucturus sit, ac ad id exsequendum sese movere, idemque ad certam normam certumque finem conformare, et quid inde providendum sit, colligere, quin et quae parata iam sunt, an ad regulam congruant, iudicare.* Conferatur *Idem de I. N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 1.*

C.

Non minus *secundo* solus intellectus et voluntas capaces sunt libertatis, ille improprie, haec proprie loquendo, scilicet eius libertatis, quae ad actionem moralem requiritur, et potissimum in executione spectatur, quia aetio hac libertate per imputationem moraliter velut connectitur cum homine, quemadmodum ita *Celeberrimus* PVFENDORF. *lib. 1. de I. N. et G. cap. 3. §. 1.* loqui amat. Neque obstat, quod intellectus sit facultas naturalis, uti modo laudatus *idem ibid. §. 3.* observat, consequenter necessaria, ut non possit aliter intelligere, ac res est, quae haec non est causa imperans executionem, cuius libertas sola attenditur in imputatione, et tum actio imputari potest, cum in potestate hominis est, et influit in eam ho-

mo, tanquam in effectum, ubi autem nullus influxus est ex defectu libertatis, ibi quoque nullus effectus imputationis datur.

### CI.

Ordine igitur *Intellectus* primo venit considerandus, de quo nunc quaeritur, quid sit? nempe nihil aliud, quam facultas animae rationalis illuminata, qua homo verum cognoscit et diiudicat. In qua definitione primo notetur *genus*, quod facultas est, et quidem naturalis, non libera, uti modo citata verba ex PVFENDORF. *de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 1. §. 3.* id probant, adeoque talis est, quae intrinseco hominis impulsu excitatur, unde non libera audit, libertate simplicis apprehensionis, quia se habet velut speculum, aut oculus hominis, et hinc naturalis dicitur, quia sicut sensus naturales non dicuntur liberi quoad nudam apprehensionem, ita nec intellectus, quamvis a nonnullis facultas libera dicatur libertate apprehensionis quoad gradus, quae tamen libertas proprie non est in intellectu. Quam doctrinam solide pertractavit *Illustris PVFENDORF. de iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 2.* cuius verba sequentia sunt. *Est autem circa priorem intellectus facultatem observandum, illam esse ex earum genere, quas communiter naturales vocant, contradistinctas liberis facultatibus, sic, ut penes hominem non sit aliter res apprehendere, atque illarum imagines intellectui sese offerunt. Id tamen est penes hominem, obiecto considerando acriter incumbere, et accurata meditatione rationes bonitatis et malitiae exactius trutinare, adeoque non in nuda duntaxat superficie haerere, sed in ipsa rei velut viscera penetrare.*

### CII.

*Differentia secundo* petitur a forma, cum intellectus sit facultas illuminata; iure igitur hac occasione quaeritur

tur de *Lumine*, an sit vel detur tale? Respondetur autem ad quaesitum distinguendo: *primo* inter obiectum naturale et supernaturale. *Secundo* inter luminis vim cognitivam et diiudicativam, *tertio* inter vim perfectam et imperfectam, *quarto* inter perfectionem Theologicam sive Poli et perfectionem Philosophicam sive soli. Et denique *quinto* inter cognitionem seu vim cognitivam perfectam et rectam.

## CIII.

Recte *primo* distinguitur, inter obiectum naturale et supernaturale. Illud enim naturae est, hoc vero gratiae; illud insitum audit, hoc autem revelatum dicitur, et ex sacra hauritur Pagina. De Priori nempe obiecto naturali hic loci quaeritur, non vero de posteriori sive supernaturali obiecto, quod alterius fori est. Quemadmodum hoc ipsum egregie confirmat DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 3.* his verbis: *Porro cum intellectus velut facem praeferat nostris actionibus, eoque non recte praetendente, non possumus non in devia aberrare; pro certo statuendum est, et in ipsa facultate apprehensiva, et in iudicio naturalem inesse rectitudinem, quae debita adhibita attentione nos decipi circa res morales non patiatur.* Et nonnullis interiectis ita pergit: *Quo loco monemus non esse hic nobis sermonem, quid citra res a peculiari Dei revelatione pendentes, intellectus iam noster valeat circa singularem divinitus alludensentem gratiam, de quo alterius disciplinae est inquirere.*

## CIIII.

*Secundo* discrimen notari meretur inter luminis vim cognitivam et diiudicativam. Differunt enim ut prius et posterius, quandoquidem obiecti cognitio praecedit, postea vero ipsum etiam de obiecto iudicium sequitur, quod

eo accuratius audit, quo accuratori meditatione ipsius obiecti consideratio est instituta. *Quaemadmodum in discernendis per visum rebus multum interest, volanti quid oculo percurras, an intanta acie contempleris? simile est Illustris PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 1. cap. 2. §. 2.* Quare haec duo sese habent ut simplex et compositum, notitia quasi nuda repraesentatio est, iudicium vero discursus, qua de re infra dicendi locus erit. Quaeritur autem hic de utraque.

CV.

*Tertio iuvat hic distinguere inter vim perfectam et imperfectam. Prohibet enim tristissimus primorum Parentum lapsus, quo minus prior locum habere possit; unde de posteriori hic quaeritur, quandoquidem et perfectam negare quoque videtur BELLARMINVS lib. 7. de Gratia et Libero Arbitrio cap. 2, initio statim, quamvis cap. 1. et 2. male confundat verum perfectum et cognitionem perfectam, illud conceditur, hoc vero negatur.*

CVI.

Sic etiam *quartam* distinctionem necessariam esse, exinde patet, quia Philosophus non de alia sollicitus est perfectione, quam Philosophica, altior ad ipsam pertinet Theologiam. *Quaemadmodum nunc Philosophia non confundenda est cum Theologia, ita quoque ipsa perfectio soli a perfectione poli discerni debet. Videtur quidem de perfecta loqui Ceteri. PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 3.* Sed optime ipsi succurrit distinctio sequens ultima, quae Virorum eruditum liberum ab hoc errore sistit.

**Quinto** denique probe tenendum est discrimen inter cognitionem seu vim cognitivam perfectam et rectam, idque propter DN. PVFENDORF. l.c. qui rectam tantum concedit et adstruit, minime vero perfectam; quae omnium circumstantiarum est, unde etiam ait, se loqui saltem de generalibus et in vita communi frequentissimis luris Naturalis praeceptis, quae omnino vires intellectus assequi valent. Quare haec duo, rectum et perfectum, inter se differunt. Illud enim ad certum tantum adstringitur vel obiectum, vel tempus, vel locum: sed perfectum omnia requirit. Sicut etiam visio solis visio recta quidem est, sed non item perfecta.

CVIII.

Iam respondetur ad quaestionem supra motam ita: Circa obiectum morale naturale datur lumen in intellectu tam quoad cognitionem, quam quoad dijudicationem, id tamen non est perfectum, etiam perfectione soli et Philosophica secundum omnes circumstantias. Prohibet enim hoc primo lapsus hominis, conferatur B.DN.D. ZENTGRAVIVS de Orig. Ver. et immut. Rect. Iur. Nat. Art. 1. §. 15. pag. 19. Secundo conditio impraevidibilis debitaе attentionis, quam nonnulli requirunt, quia a nullo homine unquam observata est; quod vero in humanis non datur, impossibile iudicatur. Tertio Legum naturae universalitas atque specierum applicatio difficilis, Accedunt denique quarto ( verba sunt Viri modo laudati lib. cit. art. 6. §. 13. pag. 164 ) *variae opiniones, consuetudines, mores seculi, gentium leges et placita aliaque impedimenta, quae rem diiudicandam alias satis difficiem adhuc magis reddunt intricatam.* Quam etiam mentis humanae caecitatem accusare non dubitavit Philosophorum Princeps Aristoteles. Sic enim

Π. Metaph. I. scribit. ὡς περ τὰ τῶν ὑπὲρ ἰδῶν ὀμμα-  
 τα πρὸς τὸ Φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, ὅτο καὶ  
 τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νῆς πρὸς τὰ τῆ Φύσει Φα-  
 νερώτατα πάντων. *Quemadmodum vesperilionum oca-  
 li se habent ad lumen diei: ita et intellectus animae nostrae ad  
 ea, quae manifestissima omnium sunt.* Interea tamen nega-  
 ri non potest, dari aliquod lumen rectum, sicut erudite  
 pro more suo et solide probatum id dedit *Celeberrimus DN.  
 D. ZENTGRAVIVS in lib. cit. Art. 9. §. XI. pag. 160.* his  
 verbis: *Dari rationis rectitudinem, usque eo verum est, ut ni-  
 si hoc assertum velimus, illud quoque falsum appellari necesse  
 sit, quod nullam dari rectam rationem dicitur, vel quod homo  
 sit animal rationale.* Ex superfluo autem sententia haec  
 sequentibus fundamentis robur suum obtinet; quia *primo*  
 datur verum et bonum morale. *secundo* quia dantur poe-  
 nae et praemia a posteriori concludendo. *tertio* a fuga ab-  
 surdi, quia alias omnia essent falsa, et hoc quoque esset  
 falsum. Sed tamen denique *quarto* his non obstantibus  
 rationibus imperfectum esse hoc lumen, patetque a pri-  
 ori ex comparatione cum naturalibus, earumque formis  
 specificis, ad quem modum moralia quoque se habent.

## CIX.

Sufficeret vel *prima* ratio sola, ad probandum, dari  
 aliquod lumen rectum, quia datur verum et bonum mo-  
 rale; hoc negari nequit citra manifestam veritatis iactu-  
 ram et inevitabilem absurditatis processum, unde et il-  
 lud verum esse oportet, siquidem nihil est frustra, unde  
 dabitur intellectus, lumen apprehendens. Sic etiam fru-  
 stra esset bonum, quia nemo istud appeteret, si nemo co-  
 gnosceret. Ignoti enim nulla est cupido.

## CX.

CX.

Pariter *secundo* ipsae poenae et praemia praesupponunt hoc lumen, et notitiam discriminis honestorum et turpium. Poena enim fugam suadet et praecipit, quae non daretur, nisi scias, quid fugiendum? hoc vero sine intellectus lumine et vi diiudicativa nosci nequit. Praemia inducunt ad persecutionem boni, quod nemo assequi potest, vel vult, nisi constet, an sit vere bonum? quae notitia luminis intellectus est.

CXI.

Tertia ratio exinde suam consequitur certitudinem. Vbi enim nulla datur discriminis notitia inter bonum et malum, ibi nec inter verum et falsum, et sic omnia erunt aut vera, quod falsum, aut falsa, quod iterum fallit; aut nihil erit verum, aut nihil erit falsum et sic hoc neque erit verum, nihil esse verum, nihil esse falsum, neque erit falsum; atque ita tolleretur omnis scientia, consequenter appetitus hominis omnis foret frustraneus quod merito pro absurdo habetur in sana Philosophia.

CXII.

Pro certo igitur statuendum est, dari aliquod lumen rectum, uti haecenus pluribus probatum est, licet id non sit ex omni parte perfectum, quod a ratione vel perium vel comparatorum a maiori ad minus negative concludendo recte colligitur y.g. ex ignoratione formae differentialis intrinsecae constitutivae inter leonem et equum. Cuius rei causam *Regius Vir* DN. D. DANNHAYRVS in *Epitom. Dialect.* pag. 14 lit. B primi hominis lapsum itemque externa impedimenta facit, de quibus Theologi in loco de Libero Arbitrio. Conferri etiam meretur P. DN. D. BEBELIVS de *off. princ. Chist. Natur. es. Revel.* pag. m. 72. B. DN. D. ZENTGRAVIVS de *Orig. Ver. et immut.* *Res. Jur. Nat. art. VI. § XI pag. 150.* K 2

CXIII.



## CXIII.

Evicta sic Luminis existentia, tunc nunc etiam inquirere licet in eius essentiam atque definitionem. Quæritur igitur, quid sit hoc Lumen? Vbi rursus distinguendo respondeo. *Primo* inter intellectum ipsum, et inter intellectus actum. *Secundo* inter actum ipsum et actus lumen seu medium. *Tertio* inter lumen potentiale et habituale actuale. *Quarto* inter lumen transiens et habituale. *Quinto* inter habituale acquisitum et congenitum. Et denique *Sexto* inter lumen speculativum et practicum.

## CXIV.

Quod ad primam attinet distinctionem, ea extra controversiam est, quandoquidem intellectus, eiusque actus inter se differunt ut causa et effectus, adeoque ut prius et posterius, ut subiectum et adiunctum, ut: permanens et transiens. Sermo autem hic est non de posteriori sive intellectus actu, uti male HOBBSIVS de Civ pag. 10. opinatur, sed de priori quæritur et permanens.

## CXV.

Idem *secunda* distinctio necessaria est, quia actus et actus lumen differunt; ut materiale et formale, quod est rectitudo et a priori, ut causa formalis. Nam in actione materiali actio physica quid est, et materiale, bonum vel malum formale actionis moralis. Porro etiam hæc duo inter se discrepare, exinde patet: quia intellectus actus sæpe errat, sed lumen nunquam; alias non posset esse mensura, et sequeretur omnia esse falsa.

## CXVI.

Fundamentum *tertiæ* distinctionis hoc est, quia hic loqui quæritur de eo, quod non tantum habet proclivitatem ad actum, sed etiam actum ipsum requirit, et actuat. Quo respiciunt verba B. DN. D. ZENTGRAVII, *Præ-*

*apertis ac Hospitiis quondam mei nunquam sine honoris prae-  
fatione nominandi de Orig. Ver. et immut. rect. tur. Nat. art.  
§. 2. pag. 41. et sic concepta leguntur: Nam cum homo  
perpetuo huic legi sit subiectus, non aptitudine tantum, quod ad  
naturalem creaturæ subiectionem non sufficit. sed actu, perman-  
dens quid legem istam in homine esse necesse est. Et ut nunquam  
homo est sine conscientia habituali, si non semper actuali. Vigi-  
lante, ita nunquam sine lege naturæ, quæ est conscientia lumen,  
lumen recti sensusque boni, quo mediante homo videt agenda vel  
omittenda. Et Sect. eadem §. 20. pag. 143. Vir Doctissimus hæc  
habet. Insunt illæ notitiæ non solum ut scriptæ scripturæ po-  
tentiali tantum sed actuali, cum proprie possit nondum scriptum  
dici, quod adhuc inscribi debet. Et paucis interiectis: Necessè  
ergo est, ut intus possideatur, et actu insit; et si manifestæ sunt  
illæ notitiæ per inscriptionem, cognitioni per discursum ac-  
quisitæ oppositæ, vero et actualiter impressum quid sint,  
necessè est.*

## CXVII.

Non minus *quarta* distinctionis ratio ex eo firma est,  
quia transiens perit, habituale permanet. Intellectus  
enim lumen nunquam perit; illud unica actione absolvi-  
tur, hoc non item, sed crebras prodit, de se stabile est,  
et per se primo ordinatum ad operationem, non quidem  
tribuens primam facultatem operandi, ut quæ in intelle-  
ctu est vis cognoscens iam ante hoc, sed tamen primam  
facultatem operandi recte et moraliter bene tradit.

## CXVIII.

*Circa quintam* distinctionem hoc venit notandum,  
quod illa sit contra DN. PVFENDORF. qui quidem *lib.  
2. de iure N. et G. cap. 3. §. 11. et seq.* potentiale infusum con-  
cedit, sed in medio paragraphi actuale habituale infusum  
negat, quatenus notat diciturque esse principium cogno-

scendi, et in se se habere principia practica actu nota, et tantum admittit, quatenus notat facultatem intellectus, quae ex contemplatione conditionis humanae liquido perspicere possit, ad normam eius legis sibi necessario vivendum, Sed species intelligibiles ipsas negat esse ab infantia: Vnde falsa sunt, quae eadem in thesi de vulgo et popularibus enunciat, ad quod exinde patet, quia alias non esset cognitio universalis, consequenter nec ius uniuersale, nec rectitudo, tanquam medium fini actioni scil. morali bonoque distinctum, quod ipsum DN. PVFENDORF. iure meritoque absonum audit *lib. 1. de off. Hom. et Civ. cap. 1. § 4.* Quare rectius sentit B. DN. E. ZENTGRAVIVS *in lib. cit. art. 3. §. 21. pag. 145. et seq.* ita dicens: *Species ergo istae intelligibiles, quae intellectui luminis Practici instar in discernendis turbibus ab honestis inseruiunt, non producuntur ab intellectu agente, sed a nativitate statim intellectui passivo sunt congenitae.* Ceterum quod ad loca Scripturae Sacrae, ut et exempla de infante et rudi populo desumpta, attinet, solide et orthodoxe ad ea contra DN. PVFENDORF. loc. cit. respondit Doctissimus Vir B. DN. D. ZENTGRAVIVS, ad quem B. L. prolixitatis evitandae causa remitto.

## CXIX.

Sexto denique attendenda quoque est differentia inter lumen speculativum et practicum, illud praescindit a diiudicatione quoad actionem moralem dictamine obligante ad hanc, hoc vero includit. Sunt autem idem in se, et considerantur tantum diversi actus. Non enim putandum est, in hominem duos cadere intellectus, sed uno tantum gaudet, id quod *Excellentissimus DN. KHVNIVS, celebris Academiae Argentor. Prof. in Coll. Priv.* hoc exemplo clare demonstravit. *Wann einer des morgens in der Metaphysic studiret, Und des abends Historias liest, oder Moralia tracti-*

sydret, ~~masset~~ *unus idemque intellectus, sed exercitiis diversis exercetur; Præterea non alium quis habet intellectum, si contempletur, et si agat, sed solummodo seu actus diversi relinquuntur et distincti ratione finis et obiecti. conf; HORNEIS in Phisof. Mor. lib. 2. cap. 2. §. 2. pag. m. 131.*

CXX.

Praemissis, hisce Luminis variis acceptionibus, illustrataque quodammodo hac doctrina, ita nunc ad propositam quaestionem respondeo, dicendo: Lumen Practicum, prout differt ab ipso intellectus actu, est qualitas actualis et habitualis congenita superaddita ipsi intellectui, dirigens hominem, ut sciat, quid sit bonum et malum morale? quid honestum, quid turpe? singula haec in definitione allata, sequentia solide probabunt.

CXXI.

Dicitur *primo* de hoc lumine, quod sit *practicum*, idque ratione finis potissimum, scilicet actionis, tum etiam ratione formalis, quia practice dirigit intellectum non nude speculative conf. §. 119. *Secundo* genus ipsa *qualitas* est, quia accidens activum audit, reliqua autem accidentia agendi est, iuxta SVAREZIVM *Disp. XVIIII. Metaph. Sect. IV.* tum quia ab hac intellectus dicitur illuminatus, cum quaeritur qualis sit? *Tertio* differentia divisiva ea est, qua ab ipso *intellectus actu* distinguitur ob rationes §. 114. allatas. *Quarto* differentiam constitutivam facit *qualitas actualis*, de qua §. 116. *Quinto* *habitualis* appellatur, quia non uno actu interit contrario, ut dispositiva qualitas, sed firma est, ut non nisi per habitum sopiri possit contrarium, videlicet vitiosum ignorantiae et negligentiae, quia contrariorum eadem est consequentia. *Sexto* *congenita* vocatur, quia cum ipso usu rationis sese exercit ubi non praecessere crebrae

brae actiones, cum usu rationis coniunctae, quae tamen requiruntur ad acquiritum habitum. *Septimo superaddita* dicitur ipsi intellectui, id quod contra DN. PVFENDORF. notandum est, tam in lib. *de iure Nat. et Gent. lib. 1. cap. 3. §. 3. quam de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 1. §. 4.* Probatum autem haec sententia *primo* ex loco comparatorum a cognitione acquisita, quae qualitas non est ipsa facultas intelligendi, ut quae iam ante cognitionem est, ita simul quidem sunt cognitio discriminis honestorum et turpium, et facultas diiudicandi, at tamen per hoc distinguuntur, quod sicut illud, ita et hoc fit habitus distinctus ab ipsa facultate. *Nimirum sicut studio, experientia, visu audituque comparata cognitio luminis instar est intellectus in suis operationibus; vel sicut artis alicuius cognitio rectitudinem intellectui effectivo conciliat; ita quoque lumen veri semenque boni insicuum illustrat intellectum practicum, conciliatque eidem rectitudinem moralem in rebus agendis, ut quid in vita sequi, quid fugere conveniat recte iudicare et ratiocinari possit; uti erudit e scribit B. DN. D. ZENTGRAVIVS in libro iam saepe citato. pag. 161. secundo a diversitate effectus ad negationem identitatis causarum recte colligitur; quia partim hoc lumen simul dicitur quid faciendum, quid omitendum; intellectus vero solum cognoscit et discernit inter utrumque; partim etiam intellectui operanti et cogitanti obicitur et accedit. In primis vero tertio ex ipsa Sacra Pagina res manifesta est, nimirum Rom. cap. 2. v. 14. 15. ubi inscriptum et tabula inscriptionis utique sicut in aliis, ita et hic diversa sunt. Aliud enim est (verba refero B. DN. D. D. ZENTGRAVII in lib. cit. pag. 143.) secundum apostolum tabula, cui inscriptio facta est anima nimirum hominis intellectualis, aliud scriptura ipsa. Lex scilicet, quae creaturam suam rationalem, et in agendo liberam, ne exorbitet*

arbitet, *vult supremus rerum arbiter obligatam. Neque ob-*  
*stat, quod haec locutio sit metaphorica. Nam tertium compa-*  
*rationis etiam in hoc consistit, et fundamentum metaphorae est.*  
*Conferrī meretur idem pag. 146. et 147. Octavo denique of-*  
*ficiū intellectus luminis indicatur, quod illud est, qua-*  
*tenus per principia honestorum et turpium hominem di-*  
*rigit, ut sciat intelligatque, quid bonum, quid malum,*  
*consequenter quid faciendum, et quid omittendum sit.*

CXXII.

Sed retrogrediendum est ad definitionem intellectus  
 §. 101. propositam, et *tertio* quoque differentia consideran-  
 da, ab ipso obiecto petita, quod *veri* nomine venit. Dici-  
 tur autem *Verum*, quod non a re sua dissonat, sive quod  
 tale est, quale esse debet, et natura exigit. Adeoque hic  
 non praecise et strictè verum intelligitur Ethicum, neque  
 Metaphysicum, quatenus notat ipsam proprietatem es-  
 sentialem, quae obiecti essentiam supponit. Haec enī  
 sunt obiecta specialia, sed in genere sermo hic est de quo-  
 vis cognoscibili, sive ens verum sit, sive ens rationis audiat.

CXXIII.

*Quarto* etiam differentia petitur a fine, qui est *cogno-*  
*scere*, quod nihil aliud est, quam obiectae rei nuda apprehen-  
 sio secundum suum esse, conf. DN. PVFENDORF.  
*de Off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 1. §. 3.* Sive quando obiectum  
 simpliciter voluntari sinitur velut in speculo. Conf. *Idem*  
*de iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 1.* et hoc modo quoad simpli-  
 cem cognitionem est plane naturalis, contradistincta li-  
 beris *loc. cit. §. 2.* quamvis quoad gradus a nonnullis libera  
 dicatur, prout cognitio intentior et accuratior, vel re-  
 missior consideratur, licet in hoc ipso actus intellectus,  
 quatenus intellectus est, scilicet cognoscere, rursus sit  
 naturalis facultatis quoad apprehensionem, ipsa autem ac-  
 curatior

curator intentio, quatenus electionis est, proprie a voluntate proveniat, et libera audiat, quia sub deliberationem cadit, non item obiecti propositi apprehensio, sicut in speculo diuturnior mora propositae imaginis est a proponente, ipsa autem apprehensio simpliciter necessaria audit, adeoque non in potestate intellectus positum est. Quare intellectus minime liber dici debet, ut principium, non tamen impedit, quo minus liber vocetur, denominatione nimirum extrinseca, ab actu voluntatis libero.

## CXXIII.

*Quinto* denique differentia ab altero desumitur sine scilicet ultimo et proprio huius disciplinae, qui est *iudicare*. Nam cognitio est propter iudicium, unde se habet per modum medii, in iudicio autem actus intellectus terminatur. Igitur iudicium proprie huc spectat, quia hoc loco attenditur praxis, at nuda apprehensio etiam theoreticis disciplinis competit, sed iudicium sub ratione dictaminis solis moralibus tribui potest.

## CXXV.

Quare recte tractationem de intellectu, doctrina de iudicio excipit; quid vero hoc iudicium sit, iure primo omnium hic quaeri potest. Respondetur autem rursus, uti haecenus, distinguendo: *primo* inter iudicium antecedens et consequens. *Secundo* inter iudicium simplex et reflexum. *tertio* inter iudicium absolutum et conditionatum. Et denique *quarto* inter iudicium ut principium actionum humanarum, et ut finis.

## CXXVI

Communis *primo* iudicii distinctio est in antecedens et consequens, sive uti DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. I. cap. 3. §. 4.* loqui amat, prout est vel rei factae vel rei faciendae, iudicium antecedens sive rei faciendae se ha-

se habet per modum principii, factumque antecedit, et iuxta notam *lit. b. ad. cit. loc.* PVFEND. *dictamen est rationis secundum legem in actu rerum, sive dictamen ex cognitione principii singularem aliquam actionem hic illiusve circumstantiis determinatam, praecipiens vel prohibens, aut etiam suadens vel dissuadens.* Iudicium vero consequens sive rei factae est tanquam principium cognoscendi a posteriori, factumque consequitur. Quare haec duo tempore inter se differunt, prius praesens: posterius praeteritum attendit. Quaeritur autem non de hoc, sed de illo:

CXXVII.

*Secundo* distingui debet iudicium simplex a reflexo. Illud enim uno actu absolvitur de praesenti, et nuda obiecti praesentis facie sive pulchritudine sive deformitate sistitur; hoc vero duos actus habet, et absenti etiam quasi vestes addit, vel pulchras vel deformes, talesque capillos, vel flavos aut candidos, vel nigros aut rubros scil. poenam et praemium. Vnde DN. PVFENDORF. lib. I. cap. 3. §. 4. dicitur reflexum intellectus iudicium *super ommissis aut commissis, ad probans bene, damnans secus facta, cui comes sequitur tranquillitas aut inquietas animi, prout cuique ista testimonium fert et de pace aut ira Legislatoris, nec minus de ceterorum hominum erga nos benevolentia, aut insensu animo sperare iubet*

CXXVIII.

Porro etiam *tertio* observari debet discrimen inter iudicium absolutum et conditionatum, illud nude dicitur de praesenti, hoc autem de praeterito minatur vel tranquillat, et de futuro conditionate (si fiat) indicat, illud poenam indicat: hoc indicat et applicat; illud rationes facientium expendit: hoc factorum et rationum effectus attendit.



## CXXIX.

Denique *quarto* potest iudicium considerari, vel prout est principium actionum humanarum, quemadmodum hic significatus huius loci est; vel prout est finis, sive secundum nonnullos adiunctum summi Boni, quod tranquillae conscientiae nomine venit. Quamvis negari non possit, quod etiam priori respectu iudicium conscientia vocetur, uti id manifestum est ex verbis DN. PVFENDORE. *de Iure N. et G. loc. cit. Solet praeterea iudicium intellectus circa actiones morales, quatenus iste cognitione legum est imbutus, adeoque circa agenda et omit-tenda. Legislatori conscius, peculiari nomine vocari conscientia.*

## CXXX.

Est igitur iudicium nihil aliud, quam actus intellectus practici, de re, quae vel naturaliter nota est, vel ex principis naturaliter notis legitime sequitur; dictans, quid bonum, quid malum sit? et ideo quid faciendum et quid omittendum sit. Fluit hinc certitudo rerum moralium, quia: quae certa habent principia, certas quoque eliciunt conclusiones, cum ex vero non nisi verum sequatur. Vnde iudicii obiectum sunt vel ipsa principia prima v. g. Bona sunt facienda, et mala sunt fugienda; vel ex illis deductae conclusiones; sic furtum est omittendum, quia: quod tibi non vis fieri (quod malum existimas) alteri ne feceris (quia non sunt facienda mala) Finis autem iudicii in dictamine consistit, quid faciendum, quid omittendum sit, nempe quoad intentionem. Executio enim a voluntate pendet.

## CXXXI.

Ceterum cum de dictamine intellectus hactenus sermo fuerit, non immerito hic quaeritur, an habeat aliquod imperium? Vbi sic distinguendum esse puto: *primo* inter impe-

imperium proprie et improprie sic dictum, et *secundo* inter imperium absolute et relate consideratum. *Primo* negari non potest, imperium quandoque sumi pro quacunque superioritate aut cura et ordinatione rerum, Graecis *Τάξις* dicitur. Conferatur GROTIVS *de iure B. et P. lib. 1. cap. 3. §. 21. n. 8.* Saepe etiam idem est ac loqui, vel regere, vel disponere, quemadmodum hi significatus Scholasticis in usu, et a *doctissimo* HORNEIO *in Phil. Mor. lib. 2. cap. 3. §. 3. pag. m. 160.* notati sunt; quamvis, uti §. 4. initio statim fatetur, imperium nimis late ita extendatur. Sic etiam *secundo* imperium nonnulli per intimationem describunt, qui actus tantum spectat relationem scilicet ad subiectum, cui imperatur, non autem absolute imperium consideratum hunc actum includit, neque etiam praescriptionem, id quod contra DN. HORNEIVM *l. c. §. 7. pag. m. 166.* notandum est, qui eam requirit, atque sic legem confundit cum imperio, quae tamen inter se differunt, ut effectus et causa, ut nude obligans et simul cogens. Sermo autem hic est de imperio proprie sic dicto et absolute spectato.

CXXXII.

Vnde respondetur nunc ita. Imperium proprie et absolute sumtum, non est in intellectu, quandoquidem *primo* iuxta HORNEIVM intellectui non est ius in voluntatem, dico iuxta HORNEIVM, quia ex eius sententia ius requiritur ad imperium, quod de formali imperii recte negatur. Nam imperium etiam vere et formaliter est in tyranno, exercitio et titulo tali, non tamen ius. Pertinet autem ad imperium iustum formaliter ipsum ius. *Secundo*, quia imperium non movet voluntatem, hinc concluditur, non esse perfectum imperium, quia voluntas ipsi potest refragari, alias non daretur liberum arbitrium;

unde voluntatem determinari iudicio intellectus practico, ut inde discedere nequeat, plane falsum est fundamentum. *Tertio*, quia pro veris et proprie talibus imperii actibus admitti nequeunt, denunciare, praescribere et ostendere, uti quidem HORNEIVS opinatur loc. cit. §. 9. pag. m. 167. Sic enim pariter et Medicus denunciat morbum, praescribit medicamentum, et ostendit, quid reparandae valetudini conducatur, quid noceat? omnia tamen sine imperio. *Quarto*, quia intellectus vere non praestit iubendo et oogendo, sed dirigendo et ordinando, et quidem non magisterialiter, sed ministerialiter ut medium, sicut speculum recipit imaginem. *Quinto*, quia non regit determinando efficaciter, sed nude proponendo et discernendo, in medio relicta agendi voluntate vel noluntate. *Sexto* denique quia a nuda indictione, quid faciendum sit? ad ipsum imperium formaliter non valet consequentia; cum et praeco in promulgatione legis dicat, quid faciendum sit? non tamen ipse formaliter imperat; siquidem effectus tribuitur causae principali, videlicet quoad imputationem in moralibus, qualis in praecone hoc quidem in casu nullus est imputationi locus. Itaque voluntas est, quae efficaciter imperat, de cuius imperio mox dicendi locus erit.

### CXXXIII.

Postquam haec dictum est, quid intellectus sit? et quale dictamen luminis, qualeque iudicium, iure nunc etiam quaeritur, quotuplex ergo hoc iudicium seu conscientia audiat. Communiter Moralium doctores eam vel rectam constituunt, vel erroneam; illam rursus dividunt in duas classes, prout vel certa dicitur apodictice seu probabiliter, vel incerta adeoque dubie seu scrupulose sese habet. Conveniunt autem inter se genere, si dubiam et scrupu-

scrupulosam excipias, quia utraque est iudicium de re aliqua sive facienda, sive omittenda. Specie vero differunt, ratione iudicii talis vel talis, ratione obiecti, et ratione principii cognoscendi.

## CXXXIII.

Conscientia formaliter recta sive demonstrativa illa dicitur, quae recte iudicat ob intellectus rectitudinem, illudque dicitur, quod cum lege Divina aut humana vere convenit, vel disconvenit. Est autem recte iudicare nihil aliud, quam rem iudicare, uti revera est, adeoque rem honestam iudicare honestam, rem turpem iudicare turpem, et rem indifferentem iudicare indifferentem. Et eiusmodi actus conscientiae rectae sive apodicticae est indubius circa rem immediate subiectam principiis primis. Unde conscientia recta non solum positive, sed etiam negative obligat; illo respectu, ut semper agam secundum eius dictamen, hoc vero respectu, ut nunquam agam contra eius dictamen.

## CXXXV.

Nascitur exinde haec regula: Quicquid contra praecipientem aut vetantem conscientiam rectam fit, illud peccatum est, quia fit contra conscientiae rectae normam, consequenter contra ipsa principia prima et Legem naturae ipsam. Conferri meretur B. DN. DANNHAEV-  
ERVS *Quaest. Mor. 5. cap. 2.* Peccat talis ex intentione et *proprietate* et contra eam conscientiam et principia, quae ipse recta putat; unde contra Deum agit, inciditque in reatum peccati et poenae. Cum enim conscientia recta regulam et normam recte agendi proponat, certe, eiusmodi si violatur, non potest talis actus recte sese habere, sed vitiosus audit. conf. DN. PVFENDORF. *de Iure Nat. et G. lib. 1. cap. 3. §. 5.*

## CXXXVI.

Nunc de conscientia probabili, de qua quaeritur, an detur? quae quaestio suo non caret fundamento, uti mox demonstrabitur. Distinguendum autem est *primo* inter conscientiam probabilem et obiectum probabile, *illa* dicitur actus iudicii probabilis, seu actus formatus ex mediis terminis, qui veri videntur vel omnibus, vel pluribus; *hoc* autem est, quod in se neque verum est, neque falsum, neque certo demonstrari potest, ita esse, et hic loci attenditur. *Secundo* inter probabilitatem facti et iuris, probabilitas iuris est actus iudicii, ex *ἐνδόξοις* colligens aliquid esse vel honestum vel turpe, ideoque vel faciendum vel omittendum. Probabilitas facti vero dicitur actus iudicii ex *ἐνδόξοις* colligens, aliquid accidisse vel non accidisse sine iudicio determinato liciti vel illiciti. Sermo autem hic est de priori.

## CXXXVII

Iam ita dico et respondeo : Conscientia probabilis, ratione obiecti vel iuris naturae spectata nulla datur: quia, *primo* Iuris Naturae obiectum in actione morali est tantum bonum et malum. Indifferentia enim non cadunt sub Ius Naturae directe et vere, siquidem Iuris Naturae effectus est obligatio, ex ipsa rerum natura orta, iam in indifferentibus nulla est (in sensu formali scilicet) convenientia vel inconvenientia ad naturam, alias non essent indifferentia. Igitur et nulla obligatio; unde solum bonum et oppositum eius esse potest obiectum; quemadmodum firmissimus inter Mortalium Doctores huius dogma, is intercedit consensus. conf. Illustris PVFENDORFIVS de *Iure Naturae et Gentium* Loco citato.

*Secundo*, quia veritas non est, nisi una, cum essen-  
tia rei non nisi una sit, alias essent plures res, verum au-  
tem est affectio entis, convertibilis, at in probabilitate duae  
sunt veritates, Scilicet morale verum est (iuxta hypothe-  
sin lesuit.) quod quis autoritate unius viri verum credit,  
et idem falsum erit, quia alter autoritate plurium falsum  
credit, et sic erit revera contradictoria, et non ens. Igi-  
tur haec veritas ficta est per ipsam naturam, neque ad-  
mitti potest, quia ab opinione hominum moralia non pen-  
dent, alias erit merus scepticismus et indifferentismus,  
immo atheismus. Conferri hanc in rem meretur *Celeb. DN.*  
*PVFENDORF. de iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 5. Tertio* deni-  
que, quia Ius Naturae immutabile est, cum essentiae ra-  
tum sint immutabiles, et norma atque fons eius sancti-  
tatis et Iustitia divina immutabilis audiat. Neque enim De-  
us vel mutabilis esse potest intrinsece, quia sic depende-  
ret ab alio, a quo posset mutari, neque vel extrinsece, cum  
sic non foret summus, siquidem implicat, summum esse,  
et habere superiorem, a cuius nutu dependeat.

Licet vero hoc respectu scil. obiecti et iuris consci-  
entia probabilis non detur, non tamen impedit, quo mi-  
nus altero respectu ea locum habere, atque sic describi  
possit; quod sit talis, quae quidem recte iudicat, et princi-  
piis etiam nititur, sed non tam certis, ut conscientia recta.  
Atque haec in vita humana valde communis est, alioque  
nomine opinativa vocari solet, quia ex opinione homi-  
num iudicat. Sunt autem principia eius, quibus inniti-  
tur duplicia, vel interna, vel externa, illa sunt, quae ex ipsa  
rei et facti natura desumuntur, quomodo probabile est,  
iuvenem si diu multumque commensationibus praegraver  
M corpus

corpus, in libidinosum evasurum esse. Haec vero dicuntur, Viri autoritate et vario scientiarum genere praediti, quibus sane longe maior habetur fides, ac illis, qui literarum sunt expertes.

CXXXX.

Regula conscientiae probabilis haec est: in duabus sententiis probabilibus ea est amplectenda, quae tutior, et ad notiora seu prima principia propius accedit, ut in bello, cum subditus dubitet, an iustum sit: habeat tamen Principis autoritatem pro imperio legitimo, sequendus Princeps est, quippe hoc dictamen, superioribus esse parendum, minus distat a sententia decisiva, quam alterum, quod omne bellum iustum sit sequendum, quia subsumtio ad singularia requirit perfectam notitiam omnium circumstantiarum conf. DN. PVFENDORF. *de iure N. et, G. Ab. 1. cap. 3. §. 6. reg. 5.* Vnde sermo hic est de tutiori proprie tali, non quod improprie et minus noxium est. Deinde de tutiori in genere morum, non in genere naturae et sic est, quod quando facio, non pecco. Adeoque *tertio* de iis, quae lege proprie praecepta vel prohibita non sunt. Prohibita enim sub electionem bonam et iustam non cadunt, quia conscientia obligat ad id, quod honestum et iustum est, tale vero audit, quod tutius relinquatur. Deinde, quia hic consideratur conscientia ut notitia practica principiorum practicorum, quae ipsos mores, non vero naturam praecise spectant. Denique *tertio*, quia mala moralia conscientiae rectae, qualis et probabilis est, repugnant. Videatur D. HORNEIVS *in Phil. Mor. lib. 3. cap. 4. §. 6. et 7. pag. m. 226. 257. et seq.*

CXXXXI.

Conscientia *tertio* dubia illa dicitur, quando in utramque partem tales adsunt rationes similes, ut mens hominis nesciat, an in hanc vel illam inclinet. Sive quando ob intellectus hebetudinem rationes circa obiectum longius a primis principiis distitum, in utramque partem propositae ob earum incertitudinem non possunt diiudicari, sed res vel quaestio in dubio relinquitur, rectius hinc dubium conscientiae, vel suspensio iudicii dicitur. Atque hanc conscientiam faciunt nonnulli vel speculative dubiam, quando quis extra exercitium actionis constitutus, de re universali licita ne, an illicita sit? dubitat; sic v. g. an sit permittum usuras accipere. Vel practice dubiam, quando quis in ipso quidem exercitio actionis est constitutus, ita tamen dispositus, ut iudicare nequeat, an hicet nunc permittum sit agere. Sic v. g. an etiam ab eo liceat usuras accipere, cui fortuito et praeter culpam magna obigit calamitas.

CXXXXII.

Sequitur hinc haec regula: Conscientia dubia circa obiectum morale nihil est faciendum, quia malum non est faciendum, et de cuius bonitate non magis constat quam malitia, id quando eligitur, malum quoque est. (Neque enim duo opposita simul esse possunt) *Deinde*, licet etiam sit bonum in se, tamen ex voluntate agentis et eligentis per accidens circumstantiam ex ~~proposita~~ et malam acquirit; cum, nisi perinde ipsi esset siue bonum siue malum, non ageret, quia neutrum ex his constat, quae circumstantia vitiat actum, sicut eleemosyna, propter mercedem data, confert, DN. PVFENDORE, *de iure, N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 8.* Valet tamen haec regula tantum in moralibus, qua talibus. Nam in iis quae indifferentia sunt,



sunt, aut sub ratione utilis veniunt, id quod utilius est, tuto eligitur. Vnde sermo hic est de conscientia dubia, qua tali, non qua ipsi postea dubium est exemptum. *Deinde* etiam de dubia, quatenus probabili et scrupulosa conscientiae contradistinguitur: Hac certe in moralibus nihil est agendum; cum alias talis homo vel peccandi propositum prodit, vel neglectum legum agendo ostendit, dum incertus, an non sit peccatum et contra legem, hoc tamen insuper habito, agat? Igitur quo conscientia a dubitatione liberetur, et ad veram sententiam firmiter amplectendam determinetur, homo vel ipsam Scripturam Sacram in consilium vocet, vel cuncta iuxta sana rationis dictamina examinet, prudentiumque pariter ac piorum Virorum iudicium.

#### CXXXXIII.

Porro *quarto* datur conscientia scrupulosa, quando intellectus quidem inclinatur in aliquam sententiam, sed tamen scrupulus aliquis manet, qui illum male habet. Sive conscientia scrupulosa illa dicitur quando iudicium intellectus circa rem sive notissimam, sive magis a principiis primis remotam, coniunctum est cum formidine oppositi propter circumstantiam, quae, si res bona est, eam videtur malam reddere, et si mala est, eam videtur bonam reddere, eaque circumstantia sive spectet qualitatem moralem, sive quantitatem, scrupulum talem generare potest. Atque haec differt a dubia, quod iuxta dubiam quis plane dubitet, et in neutram partem inclinet; sed in medio relinquat; scrupulosa autem rem quidem deciderit, sed cum aliqua animi anxietate atque metu. Vtraque conscientia tam dubia quam scrupulosa nomine tantum ac titulo talis est, minime vero re ipsa atque definitione.

#### CXXXXIII.

Ceterum de conscientia hac scrupulosa notetur, quod si scrupulus sit exilis, negligendus; si magnus, non negligendus, sed eximendus est: Si eximi nequeat, nihil faciendum. Alias enim peccatum committitur in conscientiam: Et hoc remedium est consequens; antecedens vero ne oriatur, est assuescere formandis iudiciis certis et indubiis, sed secundum disciplinam moralem et Theologiam veram, puram, ac ab additamentis repurgatam. Alias enim non statim bonum est, quod optimum iudicatur esse, etsi forte pessime iudicatur. Qua de re erudite scribit *Illustris PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 9.* cuius verba probe contra CARTESIVM, ibi citatum, eiusque sectatores observanda sunt, qui nil minus, quam a praconceptis iudiciis liberi sunt, quae debili admodum, imo nullo, et saepius impio nituntur fundamento, id quod in *Examine succincto Primae partis Institutionum Philosophicarum ANTONII LE GRAND* secundum principia RENATI DES CARTES, satis superque probatum dedi.

CXXXXV.

Conscientia denique *quinto* erronea nihil aliud est quam pravum intellectus iudicium de re vel intrinsece bona, vel indifferente, quando v. g. intellectus honestam iudicat esse turpe, et indifferens vel mandatum vel prohibitum, quod tamen non est; Vnde pravum intellectus iudicium illud audit, quod ex ignorantia rei alicuius seu circumstantiae iudicat. Ceterum haec ignorantia *vel officax* dicitur, quae est causa facti, ut e. g. Hercules furens Senecae occisor liberorum et uxoris. *Vel committans* vocatur, quae non est causa facti simpliciter, est tamen causa facti pro eo tempore ac in statu, ut, cum

quis emittit telum in domum, in scius latere inimicum, est causa facti ignorantia in statu, non tamen simpliciter, dum idem emisisset, si scivisset ibi latere. Vel cum quis petiturus avem, invisam sibi novercam in scius occidit. Atque haec ignorantia excusat factum non intotum, tamen in tantum: conf. *Celeb. DN. PVFENDORF. de iure N. et G. lib. I. cap. 3. §. 10.* Porro ignorantia est *vel vincibilis* sive secundum alios affectata et voluntaria, cum quis nescit ea, quae tamen scire poterat, et debebat; adeoque cuius causa est ipse ignorans. *Vel invincibilis*, quae duplici se habet modo, et vel *in se* talis est, quando ignorantia est causa facti, sed agens causa causae scilicet ignorantiae; ut qui ab exteris rediens, peccat in leges interea latas et publice affixas. *Vel invincibilis est in se et sua causa*, quando quis ignorat circumstantiam facti malam, eamque nosse non potuit. Exemplum sunt leges Caligulae, minimis literis incisae tabulis, altoque suspensae loco, ut fugerent conspectum hominum, videatur *DN. PVFENDORF. loc. cit.* cuius solida et facilis est haec doctrina.

CXXXXVI.

Iam si de re per se bona vel mala error est ex ignorantia vincibili, puniendus est tam qui secundum istam conscientiam n agit, quam qui non agit; quia si agit, male agit; si non agit, eo ipso male agit privative, cum omittit id, quod eius erroneo quidem iudicio bonum erat, adeoque contra conscientiam agit, exemplum sit hoc: existimet v. g. heterodoxus, peccatum esse, dare orthodoxo sive Lutherano eleemosynam, utique hoc conscientiae erroneae nomine venit. Iam sive talis contra, sive secundum conscientiam hanc erroneam agat, peccatum committit. Hoc enim respectu praecepta charitatis non observat, illo autem vult et facit id, quod peccatum esse existi-

enit inat; atque sic quantum in se est, legem Divinam vel humanam transgredi non veretur. Sermo autem hic est de errore vincibili, et quidem tam ratione facti, quam ratione iuris, quia eo ipso, dum error facti est vincibilis, potuisset evitari, atque sic liberae voluntatis est, error autem ex libera voluntate ortus, peccatum est. Si error iuris audit, eo ipso peccatur, dum in eo errat, in quo nec debebat errare, et poterat sine errore esse.

CXXXXVII.

Explicata sic doctrina de intellectu, sine quo omnia coeca sunt, ordo nunc requirit, ut ipsa Voluntas examini subiiciatur, quae, quod subordinetur intellectui nullum plane dubium est. Cum enim ex se coeca audiat voluntas, sane opus habet illuminatione intellectus. Vnde, ut agat voluntas secundum leges naturae, requiritur, ut adsit cognitio et illuminatio intellectus, qui postmodum instar consiliarii ducit voluntatem, dicitans, quid fugiendum et quid appetendum, quid honestum, et quid turpe sit?

CXXXXVIII.

Quaeritur autem primo omnium de Voluntate, quid sit? scilicet nihil aliud, quam facultas animae rationalis libera, dirigens et monens reliquas facultates, qua hominem, ab intellectu propositam, vel appetit, vel fugit. Quae sic explico. *Definitum* est ipsa voluntas, definitio autem constat genere, quod facultatis nomine venit, et *differentia specifica*, quae petitur primo ab adiuncta forma libertatis, secundo ab effectu, qui est movere et dirigere tertio ab obiecto, quod dicitur res ab intellectu proposita, et denique quarto ab actibus voluntatis, qui sunt fugere, vel appetere. De singulis hisce suo agendum erit loco.

CXXXXIX.

Quod igitur ad genus Voluntatis attinet, dicitur illa facultas, et quidem recte, quia est qualitas, quo ipso vero communis notionis audit cum intellectu, ut et ratione subiecti in anima rationali convenit cum intellectu, quando quidem ab his duabus facultatibus anima rationalis denominatur, cum recta ratio ex his principiis in actionibus moralibus et eliciatur et cognoscatur. Ipsa vero *differentia specifica* a multis petitur rationibus, et quidem primo ab adiuncta forma libertatis, atque sic distinguitur ab intellectu, qui naturalis est facultas. Videndum autem hic est, *primo* an sit voluntas libera? *secundo* quid sit voluntatis libertas? et denique *tertio* quoruplex libertas voluntatis sit,

CL.

Quaeritur igitur *primo*, an sit voluntas libera? et respondetur distinguendo ita: *primo* inter libertatem radicaliter et effective in subiecto consideratam, *secundo* inter libertatem ante iudicium intellectus practicum, et post iudicium intellectus practicum. *tertio* inter libertatem dependentem ab isto iudicio et independentem. *quarto* inter libertatem internam seu elicitive et externam seu imperatice talem *quinto* inter libertatem voluntatis et voluntatis actum. *sexto* inter libertatem habitualiter et potentialiter spectatam. *Septimo* denique inter libertatem in genere, simpliciter et universalem ratione obiecti, et in specie particularem ratione eiusdem.

CLL

Ratio *primae* distinctionis est discrimen utriusque tanquam Prioris et posterioris, tanquam causae et effectus, ut et ratione durationis, prout differunt tanquam continuum seu permanens et successivum, pariter ratione subiecti, quando quidem haec duo in diversis facultatibus

ribus esse possunt, intellectus vero minime liber dici potest radicaliter, sed sola voluntas, id quod probe contra DN. HORNEIVM in *Phil. Mor. lib. 2. cap. 5. §. 6. pag. m. 196.* et Thomistas notandum venit. Quæritur autem hic non de secundo membro distinctionis tantum, sed potissimum etiam de primo.

## CLII.

Non minus *secunda* distinctio probe contra nonnullos observanda est; dicitur autem iudicium intellectus Practicum, quod dicitur, et non nude tantum proponere atque cognoscit. Discrimen nunc est inter libertatem ante, et post illud iudicium ratione maioris motionis post, quam ante, cum *hæc* nuda cognitio, *illa* cognitionis iustio, non quidem cogens, tamen dicitans sit. Et hinc etiam *secundo* differentia patet ratione quantitatis, quoad ipsam libertatem, quæ maior est, eo quod maior motio. De *hac* autem potissimum, ut et de *illa* quæritur.

## CLIII.

Pariter *tertia* distinctio est propter eos attendenda, qui libertatem radicaliter in intellectu esse statuunt, quam controversiam §. 150 attigi. Excluditur autem dependentia in libertate voluntatis, sive ea dependentia sit causalitatis, quomodo effectus dependet a sua causa, sive ordinis, ratione prioris et posterioris, sive dignitatis et excellentiæ, velut analogice, ita, ut primario dicatur esse in intellectu, sive sit in esse, sive in fieri, sive operari, iuxta modum principii. Quo spectant verba *Theologi Consummatissimi* B. DN. D. SEB. SCHMIDII in *Compendio Theologiæ* cap. XII. de *Libero Arbitrio* §. 36. pag. 243. *intellectus non est radicaliter liber, nec voluntas in usu suæ libertatis dependet ab intellectu practico, et ab eo in alteram partem per ultimum iudicium determinatur.*

N

CLIV.

## CLV.

*Quartae* distinctionis fundamentum ex eo patet, eum inter sese differant ut causa et effectus, ut imperium et eius executio. Non autem hi termini hoc loco sic accipiuntur, prout *elicitive* notat actus libertatem tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, in quantum praescindit ab immediata et mediata productione, uti etiam aliquoties sic accepit DN. PVFENDORE. *lib. 1. de iure N. et G. cap. 4. §. 2.* sed ut quasi actus primus sit libertas *elicitive* talis, et immediate a voluntate proveniat, *imperative* talis vero quasi actus secundus, et mediate producta in aliis facultatibus, a voluntate motis. Videatur modò laudatus *Autor. loc. cit. §. I. et B. D. SEB. SCHMIDIUS loc. tbes. praeced. allegato §. 37.* ubi Voluntas vere libera. Ipsi dicitur, *non interne tantum et elicitive, sed externe etiam et imperatively, dum potentiis aliis imperat applicando et revocando.*

## CLV.

*Quinto* iuvat distinguere inter libertatem voluntatis, et voluntatis actum, quandoquidem *hic* non infert ipsam libertatem formaliter, cum possit etiam inesse radicaliter tantum. Differunt igitur haec duo inter se, ut constans et firmum, cuius nomine libertas venit, et cito transiens, cui actus responderet. Differunt ut exercitium ipsum et principium. Sermo autem hic est non de actu, sed de ipsa libertate.

## CLVI.

*Sexto* necessario etiam distingui debet inter libertatem habitualiter et potentialiter spectatam, *illa* non nisi per crebras actiones acquiritur, *haec* vero ante acquisitionem per crebras actiones adest. Differunt autem ratione originis. Habitus enim est ex actionibus; potentia a natura: *Deinde* etiam ratione durationis, siquidem *ille* perit, *haec* nunquam.

nunquam. Denique et ratione dependentiae, quandoquidem habitus nunquam sine potentia est, at haec sine illo esse potest.

## CLVII.

Distinctionis denique *septimae* ratio diversitatis haec est, quod universalis appetitum in genere et obiectum bonum in genere praesupponat sub ratione boni, et malum omne sub ratione mali. Specialis vero notat quidem in genere volitionis libertatem, quam voluntas ex se ipsa elicit circa obiectum particulare hoc vel illud, et quidem disiunctive, ut aut fugiat, aut appetat, non autem determinate et simpliciter fugiendo determinatum obiectum ad bonitatem, et appetendo obiectum ad malum determinatum. Differunt proinde ratione latitudinis quoad effectum, quod *illa* talis audit, quae circa omne obiectum et actus utrosque coniunctive se habet appetendo et fugiendo, *haec* vero disiunctive. Differunt quoque ratione obiecti, cum universalis illud supponat mutabile vel indifferens ad bonum et malum, specialis vero immutabile et ad certum restrictum. Quae ritur autem de speciali, cum universalis implicet contradictionem, scilicet idem obiectum appetere et averfari, et idem esse bonum et malum, vel hoc sub ratione mali appetere, i. e. velle, ut congruum, quod est bonum, et illud sub ratione boni averfari, ut est incongruum et inconveniens, quod est malum. Quam in rem conferri meretur DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 1. cap. 4. §. 4.*

## CLVIII.

Praemissis praemittendis respondetur nunc ad quaestionem hunc in modum: Est voluntatis libertas interna elicitive et specialis quidem etiam radicaliter post iudicium intellectus practicum independentem ab eodem



se habens. Cum *primo* proposito obiecto possit actum electionis vel formare vel suspendere. *Secundo*, cum dentur leges tam affirmative quam negative iustae, et ipsa Lex Naturae. *Tertio* cum detur actionum contingentia. *Quarto* cum alias actiones hominum et brutorum non differrent formaliter et quoad effectum. *Quinto* denique cum intellectus pareat, dum extrinseca vi movetur.

## CLIX.

Quod ad *primam* attinet rationem, puto eam solidam esse, quandoquidem ipsa experientia probatur, et diversitate actionum inter agentes eiusdem naturae circa idem obiectum. Sic e. g. diversae sententiae et actiones circa summum Bonum recensentur ac eduntur, et circa singulas rursus diversae actiones, quae nisi ex libertate provenirent, certe omnes alias essent uniformes. Intellegitur autem hic libertas contradictionis seu exercitii, de qua infra agendi locus erit.

## CLX.

Consequentia *secundae* rationis, probationis loco allatae, patet; cum a lege ad vim parendi vel in statu vel in ampliacione valeat consequentia, rursus a vi parendi ad libertatem, scilicet a vi parendi intrinseca; siquidem vis illa parendi supponit possibilitatem actus (impossibile enim neque est lex, neque obligatio) et quidem contrarium, qui sic non est, ut possit tamen esse; quod autem sic non est, ut possit tamen esse, indifferens audit (physice licet non semper ethice et moraliter) Haec autem indifferentia est ipsa libertas, uti vocat DN. PUFENDORF. de iure N. et. G. lib. I. cap. 4. §. 4.

CLXI

Similiter *tertio* ratio extra omnem dubitationis aleam posita est. Contingentia enim est, iuxta quam res sic est, ut possit etiam non esse. Iam quia datur deliberatio, vel actio de futuro, certe illa contingens erit. Nisi enim contingens omnis sit, frustranea audit, et consequenter omnis appetitus talis est, quandoquidem sic erit futurum, ut non possit non esse, quod est ipsum fatum, contra quod, eiusque inevitabilem actionum humanarum necessitatem atque indeclinabilem agendi modum erudite promovere suo insurrexit *Illustris PVFENDORF*, de *Iure N. et G.* lib. I. cap. 4. § 3.

Non minus quarta ratio firmo stat talo, quum, si nulla est libertas, actionum principium est determinatio necessaria et quoad exercitium et specificationem, sicut in brutis ex instinctu naturali, si dicitur esse in intellectu, tum eadem rationes multo magis pugnant pro voluntate. Deinde ratione formalis, quia sicut brutorum, ita et hominum actiones non erunt rationales, et sic intellectus cognitio erit frustranea, ac proinde nulla, sed DEVS et natura nihil faciunt frustra. Assumptum patet, quum, nisi possis declinare cognitum malum, frustra est cognitio, et voluntas nulla erit, quandoquidem voluntas necessitata contradictio audit in adiecto, si de voluntatis necessitate intrinseca loquaris. Nam velle v. g. malum i. e. disconveniens naturae et noxium ei, ac a quo abhorret, et circa quod agit, ut non possit non agere, vel agere aliter, implicat contradictionem, siquidem est, contra naturam etiam animale in brutis. Denique ratione effectus, quum brutorum actiones neque bonae neque malae, neque ad laudem neque ad vituperium imputabiles.

les, consequenter neque poena neque praemio dignae sint, quandoquidem haec sunt propter id, aut quod adest, et abesse debuit, aut contra. Quae non dantur, si omnia fi-  
ant necessitate, sublata autem causa, tollitur effectus.

CLXIII.

Quinta denique ratio ex eo firma est, quum intel-  
lectus est, ut speculum, quod non potest non repraesentare. Est enim facultas illuminata et subiectum illumina-  
tum, quod sicut candela praesente igne non potest non ardere et repraesentare. Cogitur autem vi extrinseca (quod de ipso intellectu non subiecto communi anima enunciatum) quoad exercitium, itidem quoad specificatio-  
nem. In appetitu sensitivo autem non esse, neque in ve-  
gerativa facultate suadet ratio exemplo brutorum et plan-  
tarum.

CLXIV.

Secundo nunc loco quaeritur, quid sit voluntatis  
libertas? ubi distinguendum esse puto *primo* inter sponta-  
neitatem et libertatem. *Secundo* inter spontaneitatem  
perfectam seu omnimodam, et imperfectam seu aliqua-  
lem. *Tertio* inter libertatem a necessitate et a coactione, et  
*denique quarto* inter libertatem motionis et indifferentiae.

CLXV.

Quoad distinctionem *primam* res in confesso est,  
quandoquidem spontaneitas illa dicitur, qua homo non  
per intrinsecam necessitatem ad agendum determinatur.  
Sicut PVFEND. bene differit de *off. Hom. et civ. cap. 1. §. 9.*  
Libertas vero vocatur, quae non ipsam motionem pri-  
mam requirit, sed actionem ipsam vel simpliciter, vel  
circa hoc et illud obiectum in specie respicit. Et differt  
ab illa ut prius et posterius, vel ut strictius et latius;  
Vnde ab illius negatione, ad negationem huius non valet conse-  
confe-

consequentia, quia a specie ad genus negative non licet concludere. Quæritur autem hic de utraque

## CLXVI

Non minus *secunda* distinctio probe attendenda est propter Theologos, qui quoad substantiam operis spontaneitatem perfectam negant, si circumstantias simul quoque complectaris, quia in homine dicitur esse servitus peccati. Et hoc modo iuvamus DN. PVFENDORF. de *off. Hom. et Civ. lib. I. cap. I. §. 10.* quando ait: Circa voluntatem id cum primis observandum, eius Spontaneitatem utique asserendam esse, saltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano ratio solet exigi. Vbi autem homini nihil plane spontaneitatis relinquitur, ibi non ipse homo, sed qui eidem necessitatem affert, autor habetur actionis, ad quam homo invitus membra viresque suas accommodat. Vbi certe prioribus verbis, quæ externam tantum substantiam respiciunt, non omnimodo perfectam vult intellectam habere spontaneitatem, alias nimis recederet a veritate Theologica, id quod etiam posterioribus verbis clare innuitur, quæ hanc nostram distinctionem satis probant. Vnde hic quaeritur de imperfecta.

## CLXVII

*Tertiam* distinctionem ubi vis obviã deprehendimus. Est autem libertas a necessitate remotio principii interni et intrinseci denominantis vel ad electionem, vel ad executionem. Libertas vero a coactione dicitur remotio et absentia principii externi et extrinseci, adversantis etiam impediendi, alias vocatur libertas a violentia. Differt igitur una ab altera *primo* ratione formalis, cum illa interna sit, hæc vero externa, *secundo* ratione subiecti. Libertas enim a coactione etiam bestiis est communis, non  
item

item altera, quandoquidem libertas a necessitate solius hominis est. Et denique *tertio* modo agendi, dum a libertate a coactione agens dicitur naturale, et a libertate a necessitate liberum. Quaeritur autem hoc loco de utraque. Conf. B. DN. D. SEB. SCHMIDII *Compend. Theol. cap. XII §. 7. pag. 236. et B. DN. D. DANNHAVERVS in Hodosophia Phaen. V. pag. 445. in Tab. denique BELLARM. Lib. 3. de Grat. et lib. arb. cap. 3. et seq. fuse.*

## CLXVIII.

Denique *quarto* alia est libertas motionis, et alia indifferentiae; illa enim omne principium ab intra petitur excludit, etiam intellectus dictamina, et obiecti naturam sive bonam sive malam extrinsece voluntatis motionis advenientem. Haec vero etiam in ipsa motione libertatem ad opposita servat, et vera est, illa licet simul praesente. Differunt autem inter se fere eo modo, quo perfecta et imperfecta, quamvis illa formam potius eiusque perfectionem in se, haec autem ratione principii spectet. Quaeritur autem hic de libertate indifferentiae potissimum.

## CLXIX.

Respondetur nunc ita ad quaestionem: Libertas voluntatis, prout simul spontaneitatem complectitur imperfecte licet, est potentia in voluntate activa, qua illa est indifferens ad electionem et reiectionem obiecti vel simpliciter, vel secundum certas circumstantias. Quam definitionem sequentem in modum probo.

## CLXX.

Generis loco potentia *activa* venit, cum eligere sit actio, nec possit esse passio, quia voluntas cogi non potest, adeoque nec quicquam pati. Vnde si voluntas dicatur pati, non patitur formaliter, subiective licet. *Secundo* potentia naturalis dicitur, seu a natura insita, non autem acquisita. Subiectum *tertio* voluntas est, a qua libertas distinguitur non subiective et essentialiter, sed formaliter tantum. *Quarto* indifferens vocatur, qua voce et ipse DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 1. cap. 4. §. 3.* utitur, quam hic substitui ait ex defectu commodioris. Est autem indifferens in quantum non differt per oppositum vel ab appetitu et electione, vel a fuga et reiectione, sed utrique communis est quoad actus speciem contrariam et exercitium contradictorium. *Vel est vis voluntatis, qua voluntas intrinsece ad certum fixum adque indelinabilem modum agendi non est adstricta*, uti DN. PVFENDORF. loc. cit. loquitur. *Quinto* denique electio et reiectio fines universales et genericos ipsius libertatis constituunt, speciales vero ultima verba exprimiunt.

## CLXXI.

Denique *tertio* quaeritur etiam, quotuplex sit voluntatis libertas? et responderetur, quod duplex audiat. Vel enim *contrarietatis* est, vel *contradictionis*, prioris exemplum est, ambulandi vel equitandi, posterioris vero edendi, et non edendi. *Alia* alias et libertas *specificacionis* vocatur, quia quasi circa speciem obiecti vel speciale obiectum disiunctive aut hoc, aut illud, aut istud, occupata est. *Haec* vero etiam libertas exercitii dicitur, quia in exercitio ipso occupata est, vel omittendo actum, vel faciendo. Differunt ergo inter se, *primo* ratione *ordinis*, ut prius et posterius, libertas contradictionis prior est,

O

ut

quã simplicior, contrarietatis vero libertas posterior audit, quia illam præsupponit. *Secundo* ratione *latitudinis obiecti*, contradictionis libertas latius patet, dum obiectum bonum et malum respicit sub duplici actu agendi, vel reiciendi, vel solum bonum sub eodem duplici actu, contrarietatis libertas vero est strictior, et ad solum bonum tendit sub actibus duobus, sed non tam procul distantibus, ut est inter agere, et non agere, verum propioribus, et quidem tantum affirmativis, ut agere, sed disiunctive, hoc, vel illud, vel negativis tantum, reicere hoc, vel illud.

## CLXXII

Recurrendum nunc est ad thesin CXLVII. et quidem ad definitionem Voluntatis, cuius differentia specifica *secundo* etiam petitur ab *effectu* seu *adiuncto*, movere et dirigere. Movet autem Voluntas *primo* intellectum quoad exercitium, non vero quoad specificationem assensus vel dissensus. *Secundo* movet etiam appetitum. Vbi tamen distinguendum est inter *motionem* et *obsequium*, hoc non semper præsto est, unde reluctantia et pugna moralis exurgit. Cogit tamen *tertio* Voluntas facultatem locomotivam, ire, sedere, et ex his facultatibus voluntatis actus dicuntur imperati, quia aliis imperantur, et per imperium ab ipsis peraguntur. Ipsius vero voluntatis actus sunt elicit, quos ex se ipsa et in se ipsa elicit.

## CLXXIII.

*Tertio* differentia Voluntatis specifica ab ipso petitur *obiecto* in citata thesi 147. Quaeritur autem, quodnam sit obiectum? et respondetur distinguendo. *Primo* inter voluntatem late et stricte sic dictam. *Secundo* inter obiectum secundum naturam suam, et secundum speciem apparentem. *Tertio* inter obiectum primum et secundum

secundarium. Et denique *quarto* inter obiectum commune et proprium. De Singulis pauca  
CLXXIII.

*Primae* distinctionis ratio discriminis haec est, quia voluntas late sic sumpta includit duos actus, scilicet perfectionem et fugam. Voluntas vero stricte sic dicta alterutrum tantum ex his, quamvis et fundamentaliter stricte sic dicta Voluntas includat in fuga mali perfectionem boni; et consequenter in perfectione boni fugam mali. Quæritur autem de voluntate non late, sed stricte accepta. Non minus *secundae* distinctionis fundamentum solidum est, quia aliud bonum vel malum audit verum, et aliud apparens. De eo autem quæritur, quod est bonum vel malum morale, siue vere, siue apparenter tale.

## CLXXV.

*Tertia* distinctio pariter firma audit, cum obiectum primum sit propter rationem eius, in quo acquiescit appetitus, ut in fine, qui propterea primo appetitur, et quia propter hunc media demum sunt, in quibus non sistitur appetitus, secundarium obiectum illa constituunt, quia propter quod unum quodque tale est, id ipsum magis est tale. conf. DN. PVFENDORF. *de off. Hom. et Civ. lib. I. cap. I. §. 9.* *Quarta* denique distinctio ex eo necessaria est, quia de voluntate stricte sic dicta hic loci quæritur. Est autem Voluntatis obiectum *commune*, quod utrique actui voluntatis subesse potest, uti malum secundum quosdam et appetitui et fugae voluntatis, et contra quoque bonum. *Proprium* autem voluntatis obiectum dicitur, circa quod tantum una potentia voluntatis, vel unus actus eiusdem potest exerceri, ut circa bonum appetitus, circa malum vero eiusdem averlatio tantum



tum. Et de hoc proprio quaeritur, qua de re videatur Clar. HORNEIVS *in Doctr. Civ. lib. 2 cap. 4.* ubi huius distinctionis occasio datur, et fundamentum habetur.

## CLXXVI.

Respondetur ergo ad quaestionem motam hunc in modum: Voluntatis, prout actum volendi notat, et stricte sic dicitur, obiectum proprium est tantum bonum, sive verum, sive apparens, sive obiectum primum, sive secundarium intelligas, quia *primo* voluntas nihil aliud est, quam inclinatio appetitus in aliquid, *secundo* vero, quia voluntas est appetitus ordinatus. Et denique *tertio*, quia alias actuum formaliter diversorum non darentur obiecta diversa.

## CLXXVII.

Ratio *prima* est a definitione desumpta ex HORNEIO *lib. 2. Doctr. Civ. cap. 4. § 8* qui ex THOMA *1. 2. q. 8. art. 1.* ita definit. Implicat autem inclinatio appetitus in aliquid, quod est discrepans et disconveniens appetenti, ipsique appetitui adversum. Implicat enim appetere, quod non est appetibile. Non minus *secunda* ratio solida est, unde voluntas tanquam appetitus ordinatus appetit, quod ordine naturae sibi convenit, quod autem ita convenit naturae, id bonum est. Esse autem appetitum ordinatum probat et universa rerum natura a minori ad maius affirmative, et viventis natura, et hominis ratio formalis, et conditio naturae scilicet socialitas. Denique *tertia* ratio extra dubium posita est, et citra absurditatem negari nequit, quia appetitus et fuga sunt actus contrarii, non autem possunt esse contrarii, nisi obiecta habeant opposita. Non enim erit alias oppositio circa idem. Esse autem diversos formaliter, patet a posteriori ex effectu, imo ipso actus nomine, tum ex diverso principio interno et externo colligitur. Nam inter-

**internum est averfationis fuga seu eius, quod averfariis, quod nisi fit disconveniens naturae, averfari nemo potest, quia averfatio est eius, quod nocet, et appetitus consequendi id, quod cupis, assequi autem nemo cupit, quod ipsum fugit, et quod non convenit naturae, sed quod bonum est.**

## CLXXVIII.

Ceterum ad obiectiones quod attinet IOAN. SCOTI et WILH. OCCAMI apud HORNEIVM *lib. 2. Doctr. Civ. cap. 4. § 9.* quae a blasphemia et odio Dei, ut et peccato ex malitia petita sunt, sane omnes facili opera addita limitatione boni veri vel apparentis, vel sub ratione boni, solvi possunt, id quod quoad prius argumentum luce meridiana clarius est. In secundo autem argumento negatur consequentia, nimirum, si non datur voluntas mali, non datur peccatum ex malitia, siquidem tale esse potest etiam in appetitione boni, cum prava cogitatione idem appetendi. Accedit, quod nullum malum etiam contra conscientiam committatur, nisi sub aliqua ratione boni.

## CLXXIX.

**Quarto** denique differentia Voluntatis specifica, thesi 147. expressa, petitur ab actibus voluntatis, qui duplicis respectus sunt, et vel *oppositi* audiunt, vel *subordinari*. *Oppositi* sunt velle, nolle, velle hoc, nolle illud, ex libertate contradictionis et contrarietatis; *subordinari* vero dicuntur, qui sibi invicem subordinantur, et alias elicitii vocantur, qui a voluntate immediate producuntur, et ab eadem recipiuntur. Horum alii secundum DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 1. cap. 4. §. 1.* occupati sunt circa finem, ut volitio, intentio, fructio, alii circa media,

dia, ut consensus, electio, usus, de omnibus hisce breviter.  
Conf. Idem *de off. H. et C. lib. I. cap. I. §. 9.*

## CLXXX.

Quid *finis* sit, circa quem actus voluntatis sunt occupati, notum est, nimirum id, cuius gratia aliquid fit: vel suscipitur actio, vel id, quod acquirendum est, ut felicitas civilis, circa quam versatur simplex voluntatis actus, id est, quem intendit voluntas absque consideratione mediorum. Atque hunc finem primo respicit volitio, alias Velleitas, item voluntas complacentiae, et voluntas simplicis approbationis. conf. DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. loc. cit.* Et est sola et nuda finis approbatio, praescindendo a quocunque alio respectu quam boni, sive sit praesens, sive absens, neque in hoc actu est ipsa iam motio, adeoque remissior actus est.

## CLXXXI.

*Secundus* actus, qui circa finem versatur *intentio* dicitur, alias proaerensis, et approbatio finis absentis est, cum vera et seria intentione eundem consequendi, adeoque finem sub ratione boni absentis concipit, recteque dicitur desiderium, et quidem efficax, quale reperitur in aegrotto ad recuperandam sanitatem. Gradus huius actus erudite annotavit. DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. l. c. §. 4.*

## CLXXXII.

*Ultimus* circa finem actus *Fruitio* est, quae possessio dicitur finis intenti et praesentis, ex qua oritur quies et delectatio, quae non est ipsa fruitio formaliter, nec commode per eam describitur a DN. PVFENDORF. *loc. cit.* cum distinguantur ut causa et effectus; Exemplum vero fruitionis est sanitas obrenta in aegrotto. Differunt nunc hi actus ratione materiae in specie, quoniam volitio obiectum

iectum habet five praesens, five absens, intentio tantum  
absens, et fruitio tantum praesens, *primus* ut latior con-  
cipi debet, *duo posteriores* vero ut strictiores, *illo* remis-  
sus est, *hi* intensiores audiunt.

CLXXXIII.

Actus Voluntatis finem respicientes excipiunt illi,  
qui circa *media* sunt occupati. Dicuntur autem *media*,  
quibus aliquid acquiritur. In moralibus alias vox haec  
exprimi solet per auxilia, ut e. g. actio honesta ad felici-  
tatem consequendam. Iam actus voluntatis a Fine re-  
flektitur in ipsa, neque simplex est hic actus, sed relati-  
vus cum consideratione mediorum. Ceterum inter il-  
los actus, qui circa media versantur, *primum* obtinet lo-  
cum *Consensus*, qui simplex approbatio est mediorum,  
praescindendo, an in potestate sint, an non? ut est v. g.  
sumtio medicamenti etiam ab eo, qui destituitur talibus,  
ut obtineat sanitatem. Et fere hic actus idem est cum  
volitione, nisi quod sit intermedius ob finem adhuc con-  
sequendum.

CLXXXIV.

Sequitur actum hunc *electio*, quae actus voluntatis  
circa media quasi secundus est, qui illa ut possibilis ad  
finem destinatur, atque versatur non tantum circa unum,  
sed disiunctive plura, cum non nisi inter multa detur e-  
lectio, cuiusmodi est electio potionis vel pilularum in ae-  
groto, adeoque rursus suo modo respondet intentioni,  
estque actus magis intensus, quam consensus nudus.

CLXXXV.

*Ultimus* actus *usus* est, qui approbata et destinata  
media applicat ad ipsius finis consecutionem, ut bibitio  
medicamenti ad recuperandam sanitatem. Et hic in-  
tensissimus gradus est. Et ita trium horum actuum dif-  
feren-

ferentia satis apparet, cum consensus praescindat a modo possibilitatis, sed electio possibile tantum admittat, cumque haec se habeat ut actus primus et potentia, omnino distinguitur ab usu, qui ad modum actus secundi seu ipsius exercitii se habet, dum media ut possibilia applicat. Sic etiam consensus remissior actus audit, intensiores vero electio et usus sunt.

## CLXXXVI.

Doctrina de Voluntate sic evoluta, a qua actio voluntaria oritur, nunc ad oppositum eius transitus instituendus est, cum talia inter se posita magis elucescant. Huiusmodi vero *Invitum* est, quod illud dicitur, quando quis ab externo principio cogitur ad aliquid faciendum, quod alias nequaquam faceret. Vel quando quis circumstantias morales nescit, et agit nolens ex defectu spontaneitatis et libertatis. Atque huius actionis invitae divisiones variae sunt, quas vero paucis hic attingere lubet.

## CLXXXVII.

*Primo* autem invitum vel *stricto*, vel *lato* sumitur, hoc etiam comprehendit invitum per ignorantiam, de quo supra iam actum fuit. *Illud* vero scientiam debitam includit, et vim voluntati vel externaee actioni factam, requirit, diciturque alias violentum, coactum, nimirum: *quando quis ab extrinseco principio validiore adigitur membra sua applicare, ita ut aversationem et dissensum suum signis ac praecipue remissione corporis significet.* Sicut loquitur DN. PVFENDORF. *de off. H. et C. lib. 1. cap. 4. §. 10.*

## CLXXXVIII.

*Secundo* invitum vel *proprie*, vel *improprie* tale audit, *illud* purum alias, hoc vero mixtum dicitur. *Purum* est, interna aversatio cum externo dissensu. *Mixtum* vero vocatur,

tur, ubi vis quidem externa, sed contentus etiam exter-  
nus accessit, eaque vis non est vere perfecta, sed maioris  
mali evitandi causa, ut eiection mercium in mare ad evi-  
tandum naufragium. cont. DN. PVENDORF. *de off. H.*  
*et. C. loc. cit.*

## CLXXXIX.

Porro *tertio* Invitum vel est *in se*, vel *in sua causa*, pri-  
mo illud dicitur, quod ratione praesentis status tale est. ex-  
empli loco venire potest Dina, stuprum passa, *Genes. 34.*  
quae in culpa fuit, ut in istud infortunium incideret. *Pos-*  
*terius* sive invitum in se, et sua causa est, cum quis sine  
sua culpa, dum nihil praeter officii aut prudentiae leges  
egit, in eam conditionem redactus est, ut vi externa  
cogatur applicare membra sua contra internam inclina-  
tionem animi et externum dissensum seu renitentiam.  
Atque hoc stricte et proprie invitum est, quod a subiecto  
patiente suspendit effectum moralitatis, videlicet impu-  
tativitatem ad laudem vel vituperium. Quae de re sobrie  
et erudite philosophatus est *Illustris* DN. PVENDORF.  
*de iure N. et G. lib. 1. cap. 4. §. 10.*

## CLXXXX.

*Quarto* denique invitum est vel *perfecte* tale, secun-  
dum omnes circumstantias, ut in virgine (animo etiam)  
stuprum passa. Vel *imperfecte* tale, ut stuprum in virgine,  
quae alio tempore modo et loco, vel ab alio agente non  
vim passura fuisset, sed tum libenter vel voluntate admi-  
sisset. *Illud* omnino excusat patientem, et accusat agentem  
seu cogentem. Hoc vero remittit aliquantum in cogente  
poenam et minuit, in patiente vero auget, vel non omni-  
no patientem eximit ab imputatione.

## CLXXXXI.

Quaeritur autem hic non immerito, *numrum actio mi-*

*ut propius accedat ad spontaneam, an vero invitam?* Vbi extra controversiam prius enunciarī debet, propterea quod Voluntas in tali actione mixta (qualis v. g. est, si Princeps in Bello partem provinciarum cedit victori, metu adactus, ne totum amittat regnum) licet non initio, tandem tamen ad ultimam actus specificationem descendat, id quod ex ipsa etiam actionis mixtæ definitione facile convincitur, in quam melius spontaneae, quam actionis invitæ, definitio quadrat.

## CLXXXII.

Constat ex his, quam necessaria et utilis sit hæc doctrina, tam Iuris quam Theologiæ cultori. Multum enim interest nosse, utrum actio ex malitia, an vero ex infirmitate sit commissa, quo eo feliciter iudicium de ea ferri, et vel mitior, vel gravior poena agenti assignari possit. Quapropter in examinanda et cognoscenda hæc doctrina, non exigua opus est Prudentia atque circumspectione, imprimis cum tot tamque variis sit exposita casibus, qui in communi vita obringunt.

## CAPVT TERTIVM DE OBIECTO IVRIS NATVRALIS

## CLXXXIII.

Hactenus de subiecto in specie, Homine nimirum eiusque facultatibus actum est, sequitur nunc in hoc capite tertio, ut ipsum etiam *obiectum* examinemus. Quæritur igitur quodnam sit obiectum? Respondetur autem distinguendo, *primo* inter subiectum et obiectum, *secundo* inter obiectum generale seu totale, et *partiale* seu speciale.

Ter-

*Tertio* inter obiectum commune et proprium. *Quarto* denique inter obiectum mediatum et immediatum.

## CLXXXIII.

Circa *primam* distinctionem notatum iam supra aliquid fuit, nimirum in capite secundo, quod de subiecto iuris Naturae agit, ubi utriusque discrimen, quod subiectum et obiectum inter se agnoscunt, clare propositum est. Breviter differentia etiam hoc modo ostendi potest, ut obiectum consideretur tanquam principium quo, subiectum vero tanquam principium Quod. Illud in re quasi formale repraesentat, hoc autem quasi materiale respicit. Verum hic loci non de subiecto sermo est, sed de obiecto.

## CLXXXV.

*Secunda* quoque distinctio observatu dignissima est, cuius membra inter se differunt, ut genus et species, totum et pars, late et strictum, adaequatum et inadaequatum. *Prius* semper exhaurit latitudinem disciplinae, sicut corpus naturale per totam vagatur Physicam, *Posteriorius* vero totam disciplinae latitudinem non exhaurit, qua ratione doctrina de signo et signato obiectum Metaphysicae speciale et partiale sistit, neque totam disciplinam exhaurit.

## CLXXXVI.

Tenenda autem est haec distinctio propter eos, qui statim obiectum distinguunt in personale et reale, illud Deum, proximum et se ipsos faciunt, hoc actionem deum esse dicunt. Quae sane divisio non est generis in suas species, quia datur aliquid hoc communius, scilicet actio, quae ista omnia sub se complectitur. *Deinde* etiam divisio haec non est adaequata toti diviso, quandoquidem non exhaurit latitudinem tractationis iuris Naturalis, si



iuxta illos accipiatur. Sic etiam tertio ex eo non approbanda est, quod singula membra non contineant minus ipso diviso. Nam reale complectitur ipsam actionem, cuius actionis obiectum sunt Deus, homo, et proximus, id quod illi ipsi negant, qui sic statuunt. Quaeritur autem hic de obiecto totali, non autem partiali, quod insufficientis audit ob rationes allatas.

## CLXXXVII.

*Tertia* distinctionis ratio in eo consistit, quod commune obiectum etiam in Theologia tractari soleat, ut actio moralis, vel in Ethicis, quatenus praecise ad hanc Virtutem spectat, vel in Metaphysicis, ut sunt res in communi notione. Sed obiectum proprium soli disciplinae morali Iur. Nat. competit, ut actio moralis, quatenus bona, vel mala, consequenter a Iure N. praecepta, vel prohibita est. Quaeritur autem hic loci de obiecto proprio.

## CLXXXVIII.

Denique quod ad *quartam* attinet distinctionem, obiectum mediatum illud dicitur, quod finis tangit remote, et mediantibus aliis, ut sunt etiam res vel personae; Sed immediatum obiectum illud est, quod finis Iuris Naturalis felicitas civilis vel tranquillitas conscientiae attingit immediate, et nullis intermediis obiectis, ut actio moralis audit, cui finis Iuris Naturalis infunditur a principiis immediate, ita ut non prius circa alia versetur. Quaeritur autem in praesenti de obiecto immediato.

## CLIL.

His ita praemissis et distincte propositis, facile nunc erit ad quaestionem positam respondere, et quidem hunc maxime in modum: obiectum Iuris Naturalis generale et totale proprium ac immediatum est *Actio Moralitatis*, quia  
*primo*

*primo* circa hanc versatur Ius Naturae eo modo, quo expositum est in distinctionibus, et *secundo*, quia forma Iuris Naturalis huic infunditur.

CC.

Ratio *prima* quoad maiorem facile ita probatur, quia haec est definitio obiecti considerationis. Nam de obiecto informationis, quod proprie et rectius subiectum dicitur, supra actum est. Quoad subsumtionem res itidem patet, quoniam est disciplina Practica; Ergo obiectum eius est actio seu *πραξις*, sicut scientiae obiectum scibile est.

CCI.

Sic etiam probationis *secundae* solidum est fundamentum, maior ipsa nititur definitione, minor autem ex eo patet, quia conformitas cum Iure Naturae ultimo dirigitur ad actionem, ex qua conformitate finis ultimus conscientiae tranquillitas est, quam homo appetit, et assequitur ista actione conformi. Iam forma ipsius Iuris Naturae est rectitudo, quae proprie tantum in actione consistit.

CCII.

Ex his itaque certe colligere est, quod divisio ista communis in obiectum personale et reale non exhauriat totum divisum, uti thesi 196. dictum fuit, neque sit in obiectum immediatum et proximum, quia haec demum sunt obiecta ipsarum actionum, quae immediate formantur a Iure Naturae. Atque huic divisioni non absimilis est illa GVIL. GROTII *de Princ. Iur. Nat. pag. 29. §. 12.* in res divinas et humanas. Rursus enim remotum tantum et mediatum ac parziale obiectum ipsius actionis respicit.

P 3

CCIII.

## CCIII.

Nec obstat, quod iuxta nonnullos finis Iuris Naturalis videlicet assimilatio cum Deo actioni non possit infundi, cum secundum hanc hypothesin, actioni prout contradistinguitur obiecto personali, etiam non possit infundi, sicut conscientiae tranquillitas nec actioni. Deinde etiam neque Deo assimilatio cum se ipso poterit infundi hoc modo, qui iuxta ipsos est obiectum personale, itidem nec proximo, quatenus obiective se habet, quia mere passivum et quod materiale quasi est, non potest esse activum eo respectu, unde nec exercitium honesti, aut assimilatio cum Deo ab externa actione ipsi infundi potest. Rectius igitur cum DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. I. cap. 5. §. I.* postquam de principiis vel potius subiecto Iuris Naturae egimus, iam de actionibus moralibus, circa quarum rectitudinem vel pravitatem investigandam Ius Naturae est occupatum, tractationem institimus.

## CCIV.

Quaerere nunc lubet in specie, Quid sit actio moralis? et respondetur, quod sit actio humana, cui inest valor, quo actionis effectus agenti imputari potest. Quae sic explico: Definitum est ipsa actio moralis, morale autem dicitur, quod a morato producitur, talis vero est, qui voluntarie agit bene aut male: Voluntas igitur est fundamentum, sed bonitas vel malitia forma 78 moralis, quia ab illa denominatur agens morale, iuxta ipsum DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. I. cap. 5. in fine §. I.* Unde non imputativitas forma est, de qua in sequentibus dicendi locus erit. Secundo definitionis genus inuenitur, quod actionis nomine venit, quae aliquem producit effectum atque opus. Differentia tertio petitur pri-

mo a subiecto, cum dicitur actio humana, unde differt ab actione, quatenus consideratur ut motus, productus a potentia naturali, prout non est libera, sicut visio in oculo, et vocatur materiale. *Secundo* differt etiam ab actione, quatenus consideratur cum voluntate, sed absolute citra respectum ad valorem, quo imputari possit, et hoc modo motus physicus absolute actionis dicitur, atque haec significatio infert iam libertatem, strictiorque prima est, quae ab hac abstrahit. De priori et posteriori videatur DN. PVFENDORF, *loc. cit.*

CCV.

Includit autem ultima connotatque fundamentale suum et principium, quatenus dependet unice a voluntate libera cum respectu imputationis effectus, et involuit duo, *primo* quidem *materiale*, quia est actio, unde materiale est motus cuiusque facultatis humanae, prout consideratur tanquam effectus eius naturalis, id est, naturae ordine ita productus, et quia est motus, complectitur sub se corruptionem, teste B. D. DANNH. *in Epitom. Dial. pag. 40*, per quam definit res esse id, quod esse debebat, quae privatio est; cuius causa addit quid positivum, nimirum voluntas, a qua suspensio actionis procedit, vel electio huius, quod malum est, et reiectio eius quod bonum audit. *Secundo* vero involvit quoque *formale*, quo actio talis in genere naturae, licet privationis nomine veniat et non entis, in genere tamen morum verum ens est, cum positivos per se habeat effectus et affectiones positivas, a quibus ad subiecti naturam recte concluditur, quandoquidem cum ente suo sunt convertibiles. Conferri meretur *Illustris* DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 1. cap. 5. §. 2.*

*Secum-*

## CCVI.

*Secundo* etiam differentia petitur a forma morali; iure igitur hic quaeritur, quaenam sit forma moralitatis, vel quodnam sit formale  $\tau\delta$  moralis? et respondetur distinguendo, *primo* inter physicum actionis et morale, *secundo* inter morale causale et formale. *Tertio* inter moralis subiectum et formam. *Quarto* inter consecutivum moralis et constitutivum. *Quinto* inter morale naturale et positivum. *Sexto* inter moralis positivi efficiens et formam. *Septimo* denique inter moralis affectionem et effectum, atque eius formalem rationem.

## CCVII.

Quod ad distinctionem *primam* et *secundam* attinet, solido illae nituntur fundamento. De physico autem actionis modo in praecedentibus actum est, et nihil aliud notat, quam esse rei naturale. Morale vero dicitur, quod ipsi accidit, sicut lignum mensae esse eius naturale est, artificiale vero quasi formam mensae sistit. Est autem distinctio haec observatu necessaria propter scholasticos, SCOTVM, DVRANDVM, SVAREZIVM aliosque, qui libertatem formale moralis esse arbitrantur, sed confundunt physicum et causale morale cum eius formali. *Deinde* etiam fundamentum cum rei ratione propria. Itemque *tertio* conditionem subiecti cum forma effecti. Libertas enim non est forma, quia per eam agens non dicitur morale, sed liberum, quae libertas conditio est subiecti. *Deinde* etsi forma statuatur, non tamen communis  $\tau\delta$  moralis est, sed tantum subiectivi, siquidem iuxta omnes obiectivum morale antecedenter se habet ad intellectum et voluntatem. *Tertio* tamen neque haec ipsa libertas est formale moralis subiectivi, multo minus in genere talis, de qua re infra plura adhuc dicenda sunt.

## CCVIII.

## CCVIII.

Distinctio *tertia* et *quarta* contra VASQVEZIVM Tom. 1. in THOM. Disp. 95. cap. 10. n. 46. notanda venit. Dicitur autem *subiectum*, in quo morale est, vel a quo cognoscitur, sicut illius homo, ita huius intellectus est. *Morale* vero dicitur, hoc etiam non existente, cuius forma talis citra operationem intellectus. Deinde *Constitutivum* audit, quod ex forma demum producitur; *constitutivum*, quod facit, ut forma sit rei forma. VASQVEZIVS igitur dum dicit, formale esse relationem rationis rei ad legem, haec inter se confundit, quia ista relatio subiectum intellectus indicat, non formam, nec constituit, sed sequitur morale conceptum. Ista autem relatio forma non est, quia est ens rationis, morale contra verum quid audit, et ens reale est extra mentem etiam, licet non sit quid physicum. Accedit, quod relatio rationis sit tantum secundum dici, quae positivum effectum non producit, sicut moralia. Tertio non requirit *συνύπαρξιν* relatio rationis, ita ut unum extremorum tantum existere possit, cum tamen nec lex sine morali, nec morale (secundum VASQVEZIVM quidem) sine lege esse possit.

## CCIX.

Ad distinctionem *quintam* et *sextam* haec notanda occurrunt, quod *morale naturale* illud sit, quod citra impositionem superioris est tale: *positivum* vero, quod tale est cum respectu ad legem, quae lex moralis positivi efficiens quidem esse potest, sed non forma, quae confundit PHILIPPVS A. SS. TRINIT. in THOM. c. 11. disp. 18. q. 3. concl. pag. m. 352. dum ait: *moralitatem consistere in subiectione eius ad regulas morum.* conf. B. DN. D. ZENTGRAVII lib. de Orig. Ver. et immut. rect. iur.

Natural.

*Natural. pag. 240.* Sed fallitur. Lex enim non est forma, quia *primo* per eam morale in esse moralis seu in genere morum non constituitur. *Secundo*, quia posito (non concessio) quod sit forma ipsius positivi, non tamen est naturalis, unde non est forma communis. *Tertio*, quia respectus ad regulas morum seu legem est consequens moralitatis, et ipsi constitutae supervenit, unde eius forma esse nequit. *Quarto*, quia fere non multum differt a praecedenti, licet non expresse addat, intelligere se rationis tantum relationem, sicut VASQUEZIVS. Sed sicut qualitas etiam in relatione fundamentum est relativorum, scilicet ratione similitudinis, ita quoque necesse est hic, qualitatem moralem praecedere, saltem aptitudinem ad prohibendum, quae est valor, ex quo demum praeceptum oritur. Denique *quinto* lex extrinseca est moralitati, unde non poterit eius formam producere, quae plana intrinseca est.

CCX.

Distinctionis denique *septimae* fundamentum hoc est, quod affectio non sit ipsa forma, sed eam consequatur, quemadmodum veritas non est ipsum ens formaliter, nec bonitas, sed eius affectio et proprietates, quae ex ente formaliter constituto resultat, et ab ea denominatur ens non formaliter, sed effective, quia ab ente provenit. Hinc, quod supra iam monitum est, discrimen probe observari debet inter formale constitutum et consecutivum, quae utique diversa sunt, ut causa et effectus. Sed hanc differentiam non attendit DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 1. cap. 5. §. 3.* et cum Ipso DN. STRIMESIVS *in append. Epicris.* contra DN. PVFENDORF. *pag. 4.* Hi enim dicunt esse imputativitatem, quod falsum est, quia non est ratio proxima in genere,

nere, cur aliquid sit morale? Minor patet seu subsumtio, *primo*, quoniam non satis fit quaerenti, quare est hoc morale, et quid est, quia imputatur, et quod imputatur sive potentia sive actu. Est enim tantum ratio ab effectu, cum inverso ordine procedat propositio. *Deinde* etiam ex ipsius PVENDORF. verbis res manifesta est, ubi *loc. cit.* ratio moralitatis dicitur bonitas vel malitia in agendo, quae utique prior et propior est imputativitate, quippe quae ex illa oritur. Hinc ista imputativitas praesupponit aliquid, cur imputari possit? quod est nihil aliud, quam valor. Conferri mereatur accurata hanc in rem Philosophia B. DN. DZENT- GRAVII in *lib. saepius citato de Iur. Nat. pag. 242.*

## CCXI.

Respondetur igitur ad quaestionem datam hunc in modum: Forma moralitatis consistit in certo valore, quo aliquid sic valet et aestimari potest, ut ponat certum effectum poenam vel praemium. Quia *primo* praecedentes opiniones omnes non sufficiunt. *Secundo*, quia per hunc morale est, distinguitur et producit effectus varios. *Tertio* denique quia est ea ratio, ratio, quae agentem praemio vel poena dignum facit.

## CCXII.

*Primum* argumentum desumptum est ex via negativa, quae nostris rationibus thesi vera confirmanda est, et roboranda solutione obiectionum. *Secundum* argumentum est a definitione formae specificae petitur: Subsumtio autem patet *primo de esse*; quoniam actuat ipsum morale materiale, ut fiat compositum unum, scilicet morale, ex physico et alio principio constans. *Secundo* probatur *de distingui*, quia hoc valore superveniente physicum actionis desinit esse pure tale, et acquirit

Q 2

novum



nōvum respectum, qui ipsam ex genere entium Physicorum deducat in classem entium moralium, consequenter in classem non nude agentium, sed vel bene vel male operantium. *Tertio de operari* inde probabitur, quia dat vel conscientiae tranquillitatem aut morsus, vel laudem vel vituperium, idque licet non semper actu, tamen aptitudine, qua semper tale est. *Tertium* denique argumentum κατ' ἀνθρώπων concludit. Nam hoc modo formale moralitatis exponit STRIMES. *loc. cit. pag. 7. lin. 3. et 4.* Sed subsumit ad eius medium inde constat, quia ex hoc valore quis dicitur bene vel male agere, cum alias non valeret moraliter, et tamen esset valor, quod implicat contradictionem. Recte autem hoc dicitur, quia etiam impurativitas (iuxta DN. STRIMES.) continet in se aliquem valorem, cuius vi et virtute ipsa existat. Omnis enim imputativitas supponit causam rationis imputandi, quae ratio nihil aliud est, quam valor aliquis, cuius vi illa existit, unde sive valorem sive rationem imputativitatis dixeris, unum idemque erit, et proprie forma, et quidem ipsa ratio causandi.

## CCXIII.

Iam quaeritur, an hic valor talis sit conceptus communis, etiam antecedenter ad intellectum, ita ut materiale in actione supposita tanquam physicum et fundamentum per valorem istum superadditum constituitur compositum quoddam seu ens morale, atque ita formandus est status controversiae et notandum elegans simile B DN D. ZENTGRAVII *in lib. cit. pag. 241. § 14.* Affirmatur autem quaestio primo ob rationes paulo ante allatas, et secundo, quia iste valor in subiecto proaereticè agente non dependet ab intellectu.

## CCXIV.

## CCXIV.

*Prima ratio ex praecedentibus patet, secunda vero ex eo constat, quia forma qua talis seu activum quid non dependet a materia, nisi in ratione constituendi compositi, sicut rationalitas non dependet ab animalitate hominis, licet in supposito et composito vide- licet homine non derur rationalitas sine animalitate. Tum etiam patet positive non influere intellectum, unde quicquid se non habet per modum principii ad alterum, neque influit in illud positive, et illo praesente hoc tamen potest non esse, ab illo alterum non dependet. Atqui prius haec probatum est. Ergo et posterius verum aedit. Iam quicquid non dependet tali modo, illud non est posterius, neque consequenter se habet, neque simul, quia uno praesente, alterum abesse potest, quod in relativis non fit. Ergo antecedenter se habet.*

## CCXV.

Obiectum *generale*, de quo haec sermo fuit, excipit nunc *speciale*. Quaeritur ergo de obiecto speciali ipsius actionis moralis, quomplex sit? et responderetur duplex vel personale, quod vel Deus est, vel homo, cuius nomine proximus ipseque agens venit; vel reale, sub quo quaecumque alia comprehenduntur, videlicet bestiae et res inanimatae e. g. divitiae. Fundamentum huius divisionis ipse gentium Doctor in *Epist. ad Tit. cap. 2. v. 11.* tradit, ubi praecipit ut *σφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς* vivamus, quorum hoc Deo, illud alteri, istud nobis in et ipsis debemus.

## CCXVI.

Solent autem actiones circa haec obiecta vocari officia, officium vero ita definiri potest, quod fit

fit vitae institutum conveniens naturae rationabili, quod homo vel Deo, vel sibi ipsi, vel proximo debet. Ceterum eleganter hac de re scripserunt CICERO et AMBROSIVS, commendari item meretur insignis libellus B. D. BEBELII *de princ. off. cb. Nat. et Rev.* Quod ad divisionem attinet, ex ipsa definitione peti illa potest, quae triplicia sistit officia, quia homo consideratus ut creatus, vel habet respectum ad principium nempe Deum, vel ad finem adeoque se et proximum.

## CCXVII.

Differendum igitur primo omnium erit de officio DEO debitis. Dicitur autem officium vel actio erga Deum *εὐσεβεία* vel pietas, quam in rem conferri meretur *erudita dissertatio Excellentissimi DN. D. SCHERTZII de Pietate, respondente Dn. Hausmanno*, vel religio, vid. GROTIUS *de princ. iur. Nat. pag. 86. §. 15.* et completitur primo Eius *existentiam*, quam in peculiari dissertatione sub praesidio Magnifici DN. D. HENNINGERI Argentorati habita, multis rationibus, quas et hic apponere lubet, ex lumine naturae probatam dedimus, quibus praemissum est testimonium Principis Philosophorum Aristotelis, his conceptum verbis: *si essent, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant iis, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama et auditione, esse quoddam Numen et vim Deorum, deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram et maria coelumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, eiusque tum magnitudinem pul-*  
chri-

ebriitudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusa, cum autem terras mox opacasset, tum caelum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminam varietatem, tum crescentis tum wescenscentis eorumque omnium ortus, et occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesque cursus: haec cum viderent, profecto et esse Deos, et haec tanta opera Deorum esse arbitrantur. Quae sane, si pauca excipias, insignia sunt, et verba admiratione digna sistant, quae supremi Numinis existentiam firmissime demonstrant.

## CCXVIII.

Vt autem primum audiamus testem, suum de existentia Divini Numinis suffragium ferentem, *Mentem* accedamus *humanam*, illamque diligenti submittamus considerationi: Haec enim vel sola ad sapientem rerum omnium opificem mortales manuducere valet. Inesse hominibus substantiam quandam incorpoream, quae spiritus nomine venit atque animae, id evidenter satis demonstratum sistant eius facultates cogitandi, percipiendi, volendi, quae sane, dum a nihilo nequeunt produci, neque materiae inhaerent, suam agnoscere debent causam efficientem, a qua veluti fonte emanant. Oportet igitur earum principium esse ens aliquod cogitans, quod alio vocamus nomine animam, quaeso autem, unde haec suum traxit ortum? quove esse coepit modo? certe ab aeterno existere haud potuit, dum de suo conscia sibi est principio, quod aeternitas respuit. Sic etiam e statu nihili in statum existentiae transire nequivit sine aliquo principio efficiente. Constat enim infallibilis axiomatis huius veritas, quod ex nihilo nihil fiat. Relinquitur ergo fuisse aliquod ens, quod per creationem tale esse animae dedit, ipsumque originitus non aliud nisi Summum illud, hoc est aeternum audire Numen

## CCXIX.

Neque alium colligendi modum humanis ingerit  
 mentibus admirandus *creatarum rerum*, varia perfectio-  
 ne coruscantium, *aspectus*, quas dum agnoscit immo-  
 terialis hominis spiritus, se autem illis conspicit desti-  
 tutum, utique a se ipso esse nequit, cum notitia rei per-  
 fectionis non nisi cognoscentis praesupponat dependen-  
 tiam. Cur enim si a se ipso esset, sibi non dedisset o-  
 mnia perfectionum genera, quae habet nota, nonne  
 quilibet intendit id, quod perfectissimum est, cuius pro-  
 inde possessionem nullus certe sibi esset denegaturus.  
 Quemadmodum autem sic spiritus hominis non a se est,  
 ita quoque nec penes ipsum stat suum esse conserva-  
 tivum. Coniunctissima enim haec duo audiunt relata,  
 ita ut praesente uno, alterum abesse nequeat. Requi-  
 ritur ergo aliud quid, cui suam debet conservationem,  
 et a quo in conservando dependet, ipsum vero a nullo,  
 sed quod talis est naturae, ut a se ipso sit, suaque virtu-  
 te omnia possit, quod sane DEVM esse oportet.

## CCXX.

Comprobat hoc nostrum assertum luculentissime  
 et ipsa *materiae consideratio*, quae haud alium formare  
 permittit conceptum, nisi qui ad summum illum poten-  
 tissimumque tendit DEVM. Videmus enim varias  
 materiae facultates, quibus ea dotata est; quaeque ipsi  
 insunt, ut nemo de illis dubitare, vel easdem negare  
 sustineat; sic gaudet ea sensatione, perceptione, quae  
 certe facultates materiae quatenus tali minime inhae-  
 rent. Id enim si esset, non nisi varia inde orirentur  
 absurda. Nam quaeso quae posset dari ratio, quo mi-  
 nus nullus non truncus et lapis percipiens quoque at-  
 que rationale foret animans, nulla sane, unde si mate-  
 ria,

ria, quae quae talis, sensu atque cogitatione prorsus est destituta, eiusmodi tamen perfectionibus relucet, consequens est, eas necessario procedere a substantia quadam immateriali, intra eam habitante, a qua suum duxit ortum, quae, cum non ab aeterno sit, neque ex nihilo resulter, ergo ab ente quodam, quod eam creavit, id est, a Deo esse, colligitur.

CCXXI.

Et res in confesso est, si iuxta principia iudicare velimus Philosophica, uti etiam h. l. debemus, quod ipsa nos manuducat materia ad Divinum Numen. Certe receptum fuit dogma Aristoteli, eiusque Scholae manifestissimum, materiam quae talem, rem mere passivam esse, sive, ut ipsorum, potius utar terminis, puram putam potentiam passivam, cuius proprium est, non tantum dividi in partes, sed etiam varias partium figuras, motiones, transpositiones, dispositiones, atque ita passiones agnoscere, agendi vero perfectio ipsi penitus denegatur, cum materia nuda et informis prorsus nihil agere valeat, sed agatur tantum et moveatur, hinc, quia omni caret virtute, eam a se esse, aut propria virtute existere, plane et plene esse nequit. Colligitur ergo, eam respicere principium aliquod, a quo esse suum accipit, quod, dum naturae nomine non venit, neque corporis alicuius particularis, altius ascendendum est, donec ad ipsum perveniamus DEVM, a cuius potentissima voluntate materiae existentia unice provenit.

CCXXII.

Cum vero materia existat non nuda, sed variis gaudeat formis, quae ipsi non exiguum conciliant splendorem, diversitatemque specierum inducunt, quaeri solet, unde illae sint productae, an ab ipsa ortum suum ducant

R

ducant materia, an vero a natura proficiantur; sed neutrum dici potest, non prius, cum materia mere passive se habeat, nec capax sit se ipsam informare, utpote in quam potius formae sunt introducendae, quam ut ipsa tales efficiat. Non *posterius*, cum omne, quod esse constitutivum rei alicuius ingreditur, illa ipsa existere debeat prius, quandoquidem nemo alteri existentiam dare valet, quam ipse non habet. Nunc autem cum natura ita comparatum est, cuius nomine concinnam universi huius indigitamus coordinationem, ut demum illa a formata materia suam acquirat constitutionem. Aliud igitur oportet esse, quod materiae eiusmodi communicat qualitates seu formas. Statuendum ergo est, dari aliquem naturae inventorem et universi huius factorem, a quo tam pulchre cuncta sunt disposita, qui certe non nisi DEVS audit.

CCXXIII.

Quod ipsum ulterius confirmatur, si quis animo attento secum reputet egregiam *mundanorum operum faciem*, in uno quovis ad stuporem usque expressam, quam insigni omnia cohaereant ordine atque nexu quibusque cuncta corpora sint insignita characteribus, si quis attendat mirandam corporum in amplissimo hocce mundo contentorum multitudinem, ut in enumerandis istis dies vitae potius, quam istae, aliquem deficiant, quam variis ea sint ornata figuris atque formis, inter sese invicem distinctis, et per tot retro secula continuatis, nec non continaturis per reliqua, si quae adhuc sunt futura. Certe consideranti talia mens haud suspensa relinquitur circa Creatorem potentissimum Rectoremque sapientissimum, quin potius ipso pulcherrimarum rerum creatarum intuitu simul quoque ipsum quasi Deum videat,

deat, a cuius immensa potentia haec omnia omnino dependent.

## CCXXIII.

Insuper *mundi partes* et varia corpora ipsum corpus esse ostendunt; corpus autem compositum et finitum esse, nec puto Atheum negaturum esse. Si igitur mundus finitus est, a se certe esse non poterit, sed Superiorem habebit causam, unde sit productus, quam causam et originem, sive Deum dicas, sive Infinitum Ens, perinde erit, et sic cognitio existentiae Divinae certa habebitur, et invicta. Eundem porro mundum si intuearis, eiusque pulchritudinem et magnitudinem, quemadmodum infinitum Ens dari probat, ita et infinitam potentiam magnitudo mundi certo persuadebit. Intuere quaeso, quisquis es, o homo! principes huius mundi, tam potentes, ut ad nutum eorum vel tremant, vel gaudeant, infinitae hominum myriades, et ecce, homo flos momento perit, annon altius quid deprehendes? quod omnes istos, et potentia, et firmitate superet, ne tandem omnia in sese ruant. Hunc vero Omnipotentem nos DEVM appellamus. Si considerare porro libeat ordinem istum, quo statim temporum vicibus, et quaeque sua lege ordine certissimo fluunt, atque sese excipiunt; possibile non est, hominem mentis sanae vel cogitare posse, haec fortuito ita accidere, ac nullo regente non incerta, sed certissima ferri ratione. Quae vero, nisi *suprema Mens* hanc machinam tantae molis vel reget vel sustentabit. Est vero convictae mentis argumentum, Deum negare, et naturam substituere, unde cuncta deriventur, quae veri DEI essentiam et proprietates notant. Videntur certe stulti et insipientes isti idem facere, ac si quis negaturus, dari homines, concederet tamen,

R 2

esse



aliquam machinam, quae induta carne, ossibus, nervis, venis, sanguine aliisque, vivat, sentiat, intelligat, et libere agat, quaecumque agit: Perinde, inquam, blaspheme nugantur, qui convicti admirandis operibus, Naturae ista omnia tribuunt, ne, DEVM esse, concedere cogantur.

CCXXV.

Non solum autem vastissima mundi huius machina pulchritudine sua atque ordine refulcet, sed insuper tota, quanta est, ad varios destinata est usus, qui in unaquavis Systematici mundi parte satis superque conspiciuntur, cum quaelibet certos sibi habeat praefixos fines, et suis sit dotata bonitatis gradibus, quibus mortalium recreantur animi. Non enim falsitatis notas incurrere nos arbitramur, si universa corpora mundana humani generis servitiis aliqua ratione conducere statuamus. Respondent namque haec exquisitissimis Entis intellectualis praerogativis, cum ad tantam illud sit evehum dignitatem, ut etiam unius hominis animam, moribus ac pietate resplendentem, longe feliciorum nobiliorumque aestimemus omnibus omnino ornatislimi coeli planetis atque stellis, quippe quae in gratiam mentium rationalium sic existunt formatae. Verum enimvero, unde haec rerum tam in orbis inanimati systemate, quam in organica corporum animatorum fabrica obviarum utilitas, seu apta mediocorum dispositio ad finem? num illa ab existentiae eorum necessitate procedit, an vero iis obtingit casu? Certe neutrum dici potest. Confugiendum ergo est ad Ens aliquod intelligens, utilitatis illius autorem, quem merito ceu Omnipotentem sapientissimumque veneramus DEVM.

CCXXVI.

Et quid opus est, facem in meridie accendere, nependat quaeſo quis secum varias machinae huius partes, tam

tam *totales* quam *partiales*, quomodo omnes omnino τὸ βέλτιον respiciant, adque debitos suos tam constanter sint directae usus, et tamen omni consilio atque prudentia careant; Certe sibimet ipsis eiusmodi fines definire illae haud valent, neque etiā tantam in eos introducere varietatem, multo minus istis perpetuam promittere durationem. Providentiam igitur aliquam ut agnoscamus, necesse est, quae varios istos usus innumerosque fines sibi proposuerit, cunctaque sic destinato gubernaverit Consilio. Oportet ergo esse Artificem quendam prudentem atque providum, qui omnia omnino ita certis destinavit utibus, quo debitum suum feliciter attingerent scopum.

## CCXXVII.

Ad confirmandam Divini Numinis Existentiam ulterius nunc progredimur, et universam quoque *naturam operantem* in testimonium vocamus. Radiat enim et hoc sua luce, remque satis planam sistit atque evidentem. Sane omnes naturae operationes, in istis motus speciebus expressae, suum agnoscunt motum localem, sine quo frustra ulla concipitur mutatio, morum autem statuere sine motore, absurdum est, et idem, ac ignem statuere sine calore. Consequens ergo est, existere motorem aliquem; sed nonne talem agit materia, vel natura universalis? minime. Quomodo enim id motoris nomine venire poterit, quod omni plane motu proprio destitutum existit? sicuti materia, quae unice esse suum motivum aliunde habet, et quomodo natura ea producere valet, quae tamen potentiam eius transcendunt atque superant. Igitur DEVM motorem illum summum esse, cui omnes omnino operationes unice sint adscribendae, rursus evidentissimum est.

R 3

CCXXIIX.

## CCXXIX.

Et huc collimat Communiffimum Philofophi effatum, *omne quod movetur, moveri ab alio*. Quo ipfo demonftrare fatagit, dari neceffario aliquod primum movens. Si enim omne, quicquid movetur, moveatur ab alio, et hoc rurfus ab alio, neceffum eft motum fore infinitum, et infinitam rerum moventium feriem, nifi concedatur quoddam primum movens, vel prorfus immobile: fed absurde ftatuitur, quod in natura detur infinitum, quandoquidem ab illo abhorret. Vnde agnoscendus eft aliquis primus motor, aut ipfe motus venit negandus, qui tamen omnium oculis exiftit conspicuus, contrariumque ipsis refragatur fenfibus. Evidentum igitur eft, dari primum Motorem, quem nos non nifi DEVM dicimus: *Conf. Confultiff. DN. D. WERNHERVS in Elem. I. N. et G. pag. 157. §. 4.*

## CCXXIX.

Neque omittendum eft illud argumentum, quo etiam Exiftentia Dei apodictice demonftratur, fcilicet, *omne, quodcunque eft, vel productum eft, vel non productum*; fi quid iam fit, quod non productum eft, hoc eft, quod *Aeternum Numen Deumque optimum Maximum* appellamus. Si vero omne productum fit, quod Athei volunt, neceffe eft, ut ab aliquo productum fit. Si enim a nullo, tum neque productum erit; fi ab aliquo, de eo pari ratione quaeram, productum ne fit, an non? atque ita vel in infinitum processus inftitueretur, quem homo, mentis compos, nunquam in corde fuo admiferit, etiam fi ore fateatur: Vel dabitur aliquod, quod *summum Numen* eft, et *independens*, quae ipfa eft Divina effentia. Accedit et hoc, quod fi tandem aliquid fponfe ftatuatur productum effe, non tamen ab alio, fed a fe ipfo, feque-

sequeretur, ex nihilo aliquid se ipsum produxisse, quod perinde impossibile est, ac si statuas, primos homines, qui fuerunt, generasse se ipsos, antequam essent, et cum nihil essent, dedisse sibi essentiam et naturam, ut aliquid essent et existerent. Quae ipsa sunt verba in dissertatione nostra de Certitudine Theologiae Naturalis allata thes. 32. Conferri meretur *Magnificus DN D WAGNERVS, Argentoratensium Ecclesiarum Evangelicarum Praefes Gravissimus, ac Praeceptor meus aeternum colendus in erudita disputatione de Notitia Naturali Existentiae Divinae.* Itemque *B DN. D. HARTSCHMIDIVS, Praeceptor atque Hospes quondam meus post fata etiam pie suspiciendus, in docta dissertatione de Theologia Naturali.*

CCXXX.

Non minus ad probandam Dei existentiam facit *permanentiae consideratio*, quam cunctae res creatae in existendo habent. Cum enim universi huius orbis partes continuationem aliquam existentiae involvant, et duratione a praeterito per praesens ad futurum gaudeant, quae per momenta priora atque posteriora concipienda est, quorum tamen unum non inducit necessitatem alterius, neque cuncta a se sunt, sed ab aliena virtute atque potentia dependent, manifeste concludere est, quod detur aliqua causa conservans, quae alia conservatrice non indigeat, sed sua existat potentia propria, vi cuius omnia omnino in suo esse conservantur, cuique totam existentiae perseverantiam omnes mundi partes unice debent, quo ipso DEVM esse et existere, iterum certissimo certius est.

CCXXXI.

Et si licet, uti etiam licet, ad ipsa descendere particularia, certe res in totum plenissime elucefcet. Attenda-

tendamus modo *hominem*, parvum istum mundum et creaturarum nobilissimam artificiosissimamque, perpendamus eius sapientissimam corporis pariter atque animi, omniumque membrorum, muscutorum et filamentorum, venarum et nervorum, viarum etiam atque pororum sane innumerabilium, itemque facultatum et virium pulcherrimam constitutionem, ponderemus animae ceu mentis immortalis vires suas intelligendi, volendi, appetendi, averfandi, fermocinandi, innumerasque alias felicitatis dotes; quaeso ad quem alium cuncta haec nos ducunt, nisi ad summum illud, quod in coelis existit Numen, tanquam ingeniosissimum Artificem, quem manibus quasi palpandum illa sustunt, cum ne quidem fingi eiusmodi egregia opera, multo minus esse queant, sine omnimoda supremi Entis existentia.

## CCXXXII.

In primis etiam hoc apparet, si consideremus insignem *corporis humani harmoniam*, quae undique e fabrica hac organica resplendet, ubi mutuam omnium vasorum membrorumque deprehendere licet communicationem, ope cuius unumquodvis alteri egregie respondet, ita ut mutuo sese sustentent, suisque mutuo necessitatibus succurrant, cum unum membrum alterius semper imploret auxilium, et nullum omnino solum sine subsidio reliquorum subsistere valeat. Conspicitur ulterius in corpore hominis organico mirandus aliquis ordo, iuxta quem cuncta omnino pulcherrimum in modum existunt disposita. Et licet variae eius ac innumerae audiant functiones, omnes tamen ita sunt locatae, ut nullum altera alteri afferat impedimentum. Quae omnia sane peritissimum arguunt  
opi-

opificem, prudentissimumque Rectorem, quem stupendae oportet esse scientiae atque consilii magni, sine quo tale corpus, tam artificiose confectum, minime formari potuit.

CCXXXIII.

Neque vi sua probandi, Deum esse, *rationalis animae unio cum corpore organico* destituitur. Cum enim haec duo arctam constantemque dicant unionem, et sese mutuo quasi ament, haec vero unio non physico cuidam adscribenda sit contactui, cum talis locum non inveniatur in substantia spirituali, qualis spiritus seu anima audit, sed solummodo in corporibus reperiatur, quae rationis capacia fecit natura, neque etiam vinculum aliquid materiale vel immateriale respiciat, cum utrumque repugnet, et nec spiritus corpus, nec corpus spiritum tangere valeat, multo minus corpuseam producat, vel anima per propriam et innatam vim, relinquitur, aliam esse causam, quae ad hanc corporis cum anima unionem concurrat, cui propria insit virtus atque potentia, ambos hos amicos intimos, uti uniendi, ita etiam in unione conservandi. Igitur DEVM esse, a cuius potenti efficacia haec pendent, iterum extra omnem dubitationis aleam positum est.

CCXXXIV.

Inter Cartesianos ANTON. LE GRAND. *in Institut. Phil. Part. 2. cap. 2. pag. 123. ex idea Dei* DEVM existere concludit. Per *ideam* vero nihil aliud intelligit, quam rem ipsam perceptam seu cogitatum, prout est obiective in intellectu, de qua ait: illam ideam, quae substantiam repraesentat, plus realitatis habere, quam aliam, atque sic ideam illam, quae Ens infinitum exhibet, plurimum habere realitatis. Supponit porro, nihil esse in effectu

fectu, quod non sit in causa, his iam suppositis, hoc argumentum superstruit. Omnis entitas rei, repraesentatae per ideam, debet habere causam, in qua formaliter, vel eminenter continetur, sed habemus ideam Dei, in quantum est substantia perfectissima, omnimodam limitationem excludens, quae in nulla re creata continetur: Ergo idea illa Deum habere debet pro causa. Cuius minorem deinde probat, quoniam omnia praeter Deum finita sunt; cum ergo idea ista sit infinitae substantiae, necesse esse, ut a Deo solo, qui infinitus est, procedat.

CCXXXV.

Si vero, quod de argumento hoc videtur, dicendum est, non sine ratione videtur esse iudicium VOETII, additum *Theologiae naturalis Reformatae*, quod hoc argumentum multis limitibus sit circumscribendum, quibus tandem positis, novum non sit, arque diversum ab iis, quae ante CARTESIVM multi afferebant. Quod enim de *idea Dei* in me argumentum ducitur, id mihi quidem, omnibusque piis, qui Deum esse credunt, certum est, Sed si theoretice impius sive Atheus speculativus negaverit, talem ideam necessario inferre obiecti cogniti existentiam, unde is convinci possit, tunc non apparet. Multae enim sunt mentis nostrae cogitationes, quibus imagines quasdam repraesentamus, ac si res ipsae essent, sed nemo inde certo statuet, ex conceptu meo et imaginatione res ipsas ideo poni in rerum natura, cum falsum sit, ideam semper oriri ab esse quodam actuali. Verum quidem est, quod si arguas, Deus indidit istam ideam, Ergo Deus est, quod tum argumentum ab effectu ad causam, et contra, bene concludat, novum vero nequaquam sit, sed potius in omni antiquorum Philosophia receptum. Neque etiam diversum videtur esse ab

eo,

60, quod Theologi dicunt notitiam Dei insitam, quae non a recentioribus excogitata est, sed fundata in humana natura, tradita a PAVLO Rom. 2. et exposita a Theologis Orthodoxis.

CCXXXVI.

STATIVS a timore conscientis innato, argumentum existentiae summi Numinis ducit firmum, nec dubium est, quin scelerati isti, etiamsi ad confessionem haud facile adigantur, in conscientia tamen convicti sentiant istos conscientiae horrores, licet tanquam indurati, stimulis istis malitiose repugnent. Exempli loco Iulius Caesar VANINVS esse potest, itemque Gotofredus DE VALLE, ut et, sive vero, sive ficto nomine Matthias KNVTZ, quem Doctor MVSAEVS peculiari scripto refutavit. Ea insuper conscientia, quae cuique dictat, honeste vivere, neminem laedere, unicuique suum tribuere, homini impio, extra metum poenae posito, non persuadebit obligationem, ut illud dictamen sequatur, nisi superiorem agnoscat potestatem, ista imperantem. Cum ergo Athei vim quandam cogentem et iubentem, et fateantur, et cogantur fateri, necesse est, agnoscant causam, unde dictamen istud rationi inditum, cuiusque auctoritate ad obsequendum obligentur? quod non nisi a Superiore provenire, certa demonstratione constat. Vid. eadem in dissertat. nostra de Certitudine Theologiae Naturalis §. 27. 28. 29. et 30. Quae hic apponere placuit.

CCXXXVII.

Provocamus tandem ad universale populorum ad humanitatem utcunque excultorum testimonium, indubiam supremi Numinis existentiam evincens. Deprehendimus namque in iis haud simulatum Summi Rectoris cultum, quo ipsum venerantur, quemque sic debi-



ta prosequi veneratione mens ipsis dicitur, praesertim, si indubitas miraculorum effectuum perpendant historias, quas coecae adscribere fortunae, sana vetat ratio, si unanimia secum reputent suffragia, insignemque ingeniorum humanorum, infinitorum licet, conformitatem, quod tam fideles Existentiae Divinae agant testes. Certe considerantibus talia non potest non Supremi Numinis existentia firma stare fixaque, neque ullum ipsorum mentes occupare dubium, quin potius unanimi voce DEVM esse, profiteantur.

## CCXXXIX.

Quid ergo reliquum amplius est, postquam nobiliores Entium cognitorum classes ad suffragium ferendum evocatae sunt, num ulteriore opus erit probatione pleniorique evidentiâ? tot hactenus putamus recensitos esse testes, ut alios hîc addere omnino supervacaneum iudicemus. Clamat vox naturae, loquitur unanime suffragium, quod universa ferunt entia naturaliter cognoscibilia, consentientia deprehendimus testimonia totius generis humani, ac ipsius etiam naturae, imò universae terrarum orbis subscribit sententiae, DEVM ESSE. absolutam rerum omnium causam, a qua omnia sunt, quae sunt, ipsa vero a nulla, cuius potentia inenarrabilis, Maiestas incomprehensibilis, voluntas invariabilis, et Bonitas incomparabilis.

## CCXXXIX.

Quanta igitur Atheorum Theoreticorum, Existentiam Divinam impugnantium, sit impietas, et nefanda lingua, vel ex his allatis satis patescit. Variis autem hi contra veritatis testimonium insulzare solent argumentis, quibus impietatem suam defendere satagunt, in praesenti operae pretium erit, nonnulla ex iis subiicere

cere examini, quo appareat, quam absurda partim Atheorum sint cogitata, partim etiam quam frivola utantur lingua. Regerit primo malitiosus illorum spiritus, praesentem hunc mundi habitum existisse ab aeterno, neque unquam incepisse, adeoque nec opificem habere posse. Sed quis non videt falsum hoc esse effatum. Nequit enim illud vocari aeternum, quod talem agnoscit durationem, quae per praeteritum, praesens atque futurum concipitur, quandoquidem tales temporum differentias vera aeternitas respuit. Nunc autem videre est in primariis mundi huius partibus, quod certos suos habeant motus atque revolutiones, quae non sunt infinitae, sed uno extremo praesenti revolutione terminantur, ut et quaedam adhuc futurae, consequenter etiam finitae. Relinquitur ergo aeternitatem a mundo eiusque partibus, partiumque revolutionibus exulare.

## CCXL

Sed habent, quod statim reponant Athei, hunc in modum differentes: posito ergo, non vero concessio, mundum agnoscere suum Creatorem, qui Deus est, ac Ens infinite potens et perfecte bonum describitur, eaque attributa ponuntur ab aeterno ipsi fuisse essentialia. Qui igitur fit, quod mundum non ab aeterno creaverit, si omnino eundem creavit, quo eo maior Bonitatis suae emineat potentia. Ita Atheorum impudentia impiae causae patrocinium suscipere non erubescit. Verum percipiant tales, quod disputent coeca ex ratione menteque imperita. Quae enim Philosophia sano rationis lumine nixa, unquam docuit, aeternam istis rebus comperere posse creationem, quarum duratio existit successiva, haec simpliciter aeternitati repugnat, ita ut sine contradictione de illa dici non possit.

Hoc ipso tamen non perit supremi Numinis Omnipotentia, si asseritur, mundum ab aeterno existere nequivisse, etiam per potentiam Dei. Haec enim possibilia tantum respicit, non vero illa, quae manifestam involvere solent contradictionem.

CCXLI.

Aliter procedunt Athei, Epicureorum sectae addicti, qui originem et fabricationem mundi Potentiae Numinis denegant, contra vero *fortuito atomorum concursui*, ceu causae eius efficienti adscribunt. Verum quam absurda haec sit opinio, neminem, vel aliquali saltem ratione gaudentem, latere potest. Impossibile enim fuit, ut atomi sua sponte in praesens hocce systema coirent, et licet infinitus statuatur atomorum concursus, variusque earum motus, sic tamen dispositae esse haud potuerunt, ut talem mundi efficerent formam, quae ne quidem prima eius fundamenta afficere valere, nisi necessariis motus legibus dirigantur, quandoquidem omni perceptione atque consilio carent, nec meditare agere unquam possunt.

CCXLII.

Et si penitus res ipsa inspiciatur, apparebit, quam stolidum et fabulosum sit dogma, imo cunctis Aesopi fabulis fabulosius, quod in Atheorum schola defenditur *de fortuito atomorum concursu*, nobilem hanc ac prorsus admirandam mundi compagem, venustissimasque eius partes producente. Id enim si esset, hem quanta inde absurdorum plaustra consequerentur? nonne pratis pariter atque sylvis artium scientiarumque adscribi possent inventiones, ac atomis id competere asseritur? nonne equi pariter atque feles investigare valerent vias pacis atque strategemata belli, ac atomis id

ad veniret usu? Certe non video ullam collectionis huius absurditatem. Quare mirum non est, quod eruditorum quidam sic scripserit: *Modestiae meretur laudem prisca illa Mythologia, quae fabulosam suam scenam eminens instruxit. Olim quondam ad calendas forte Graecas, atque in regione Vtopiae colloquium Quercum inter atque Cedrum dicitur intercessisse. At vero Atheus adeo stolidus est impudens, ut atomorum suarum fabulam in teatro praesentis aetatis exhibere non erubescat. Et rursus: Lubenter largimur, si quidem fieri posset, ut coecarum atomorum concursus rationem producat, Atheorum eam fore, quae optimo iure titulo eam sibi originem vendicare posset.*

CCXLIII.

Pergit impudentissima Atheorum secta impiam suam defendere sententiam etiam hunc in modum: ut, nullam dari substantiam nisi materialem credat, simulque omnem naturam incorpoream e numero entium eliminat, docens: omnes omnino operationes unice ipsi materiae suae debere originem, ad quas producendas ea utique existit capacissima. Sed reponimus illis, falsissimum hunc esse de materia conceptum, et non nisi fictum, quandoquidem materia operationum expers est, eique facultates cogitandi, sentiendi minime inherant, uti supra iam probatum dedimus, et ex inanimitatis quoque corporibus patet, quae quidem materiam ponunt, sed eiusmodi operationibus sunt destituta, quibus tamen gaudere deberent, si illae a materia procederent, et non potius acogitante quadam et incorporea substantia.

CCXLIII.

Vlterius progrediuntur Athei, et non esse DEVM exinde etiam arguunt, quia si talis esset agnoscendus omni-

omnium rerum creator, utique et is in ipsa creatione *indelebilem sui ipsius inscriptionem* cunctis mentibus humanis impressisset, cuius ope nullum praeteriret, tempus, quo non agnoscerent DEVM, imo invita etiam voluntate agnoscere deberent. Tanta Atheorum est malitia, ut impiam mentis suae dubitationem probationis loco contra Supremi Numinis existentiam adhibeant. Sed audiant tales, quam iniuriae erga Deum sint mentis crassissimaeque ignorantiae. Nonne satis, Summa Optimi Dei cernitur Benignitas, in concessis mentis humanae facultatibus variis, quarum legitimus usus non potest non ad existentiam supremi Numinis tendere, quod iam sufficit, ut Deus minime sit in causa, si impii homines huic bonitati malitiose resistant, et consequenter notitia existentiae Divinae actu ipso iis impressa, destituantur. Neque bonum concludendi modum hunc esse existimamus, qui ex necessitate Existentiae Divini Numinis, irresistibilem quoque eius notionem inducit. Nequit enim huius absentia Divinam impugnare existentiam, quae firmissime per se stat, ut eam invenire valeant omnes, quibus quaerere Deum, curae cordique est.

## CCXLV.

Non minus Dei existentiam et hoc argumento negatum eunt Athei, quod *machinam humani corporis imperfectam* conspici dicant, et minime absolutam, quae proinde Dignitati Tanti Numinis, quantum Id praedicatur, haud respondet, quod potius stante Eius infinita perfectione atque potentia eam elegantius instruere, neque tot tantisque miseriis obnoxiam facere debuisset. Verum enim vero mi Athee, qui ita iudicas, quam ingratum agas animal, quae so tecum perpende? Non contentus

terus es iis animi corporisque dotibus, quibus tamen  
 praerogativam praecunctis aliis in terra existentibus  
 Creaturis es consecutus, quarum nulla tanta relucet  
 perfectione, quam ipse homo, cui nihil deficit, sed in  
 suo genere utique perfectus est, qui debitis suis tam ef-  
 fentialibus, quam integralibus gaudet partibus, et tali  
 sensuum numero ab Optimo dignatus est Numine, qui  
 completus audit, et de magna testatur praestantia. Quae  
 sane Benignitas Divina aeternis celebrari meretur lau-  
 dibus, in primis cum ea, seu immerita, nosmet ipsos  
 respiciat. Et licet corpus nostrum variis vexetur cala-  
 micatibus, mortemque quotidie ante oculos obversan-  
 tem habeat, exinde tamen minime Divinam impugnare  
 poterit existentiam ipse Atheus. Discat enim prius,  
 quoniam miseriae huius existat causa, Deus, an homo,  
 et inquirat in eam? Certe, cum DEVS homini in crea-  
 tione primum dedit esse, omnibus istum instruxit per-  
 fectionibus, sed quid DEVS in causa? quod homo per  
 inobedientiam suam, et sic consequenter per propriam  
 culpam bona converterit in mala, et perfectiones in im-  
 perfectiones, quibus nunc laborare, illis vero carere  
 debet.

CCXLVI.

Accedit denique et *viduum* nonnullorum Atheo-  
 rum *testimonium*, quod profligatissimis contra Deum e-  
 nunciant verbis; Sicut nonnemo ex ipsorum coetu pro-  
 iecto argumentatus est ore: *Certus sum* (inquietabat ille)  
*non esse DEVM. Si enim esset, pridem utique tonitru et ful-*  
*minis istu ad inferas me deturbasset, qui convitiis atque sce-*  
*lestis lingua eundem tantopere laesivi.* Sic Divina eludi-  
 tur bonitas, et tarditatem eius ad poenam increpat ma-  
 litiosa Atheorum lingua. O horrendum creaturae  
 proce-

procedere cum Creatore, pulvis et cinis corrigere audeat aeternum in Coelis Deum. Sed respice ad finem Athei, qui sic ultrices coelo evocas flammam, eumque expecta, qualis is tibi existat futurus. Audiamus VALE-  
RIVM MAXIMVM, istum tibi praefagientem: *Lento  
grada ad vindictam sui Divina procedit ira, caritas atque  
supplicii gravitate compensat.* Tristissima et hoc edocere  
te valet experientia, quae miserandos magno numero  
mortalium oculis subiecit casus, quos non sine terrore  
Divina ipsis proposuit iustitia, ut ea minime in argumen-  
tum debeat perverti, quo Existentiam Eius quis oppu-  
gnatum it. Relinquitur enim DEVS nunquam expers  
testi. nonii, Atheus vero relinquitur expers exculationis.

CCXLVII.

Evieta sic Divini Numinis Existentiâ, firmissimis-  
que probata rationibus contra Veritatis assertores, per-  
gimus nunc *secundo ad Unitatem Dei*, quam ipsa religio  
vel Pietas complectitur. Unum autem Deum esse ten-  
unicum, ita probatum datus. Quod si enim plures es-  
sent Dii, illi inter se aut repugnantiam dicerent, aut nat-  
alam dicerent, sin prius, non participarent de una ea-  
demque essentia, atque sic, nec omnes vere essent Dii, sed  
unus tantum, reliquis exclusis; sin posterius, omnium  
eadem esset essentia, et sic omnimoda quoque cuncto-  
rum identitas, nunc vero identitatem concipere velle  
cum pluralitate, absurdum foret, cum omne, quod est  
idem, etiam audiat unum, quare illa necessario unitatem  
involveret, stante autem hac, non plures forent dii, sed  
unus tantum. Probari etiam Unitas Dei ex eo potest;  
quia ex ipsa Dei Natura dependet, quae et Ens singula-  
rissimum et independens est. vid. *Grot. GROTIUS de  
Princ. Iur. Nat. pag. 67.* Itemque B. DN. D. BEBELIVS

de Prim. off. Co. N. 28, R. pag. 171. Fugienda igitur πολυθεός Gentilium est, in unitatem Dei gravissime multisque modis impingens.

## CCXLVIII.

Tertia complectitur *spiritualitatem*, quae alias quasi genus esse dicitur in definitione Dei. *vid.* B. EBELIVS in *aphor. Met. pag. m. 215.* et probatur ex perfectione atque simplicitate, quae compositionem ex materia et forma removet. Si enim statueretur compositus DEVS, dependens quoque audiret a partibus suis componentibus, neque potentia careret passiva, sed utrumque sonat absurdum, cum illud non sine repugnantia de Deo dici queat. Summum enim esse, et tamen dependentiam partium inferre, haud inter se convenire possunt, quin potiusposito priori, posterius tollatur penitus. Neque etiam hoc citra pugnam de Deo enunciari poterit. Cum enim essentia gaudeat pure actuali, et ceu actus existat purissimus, omne, quod nomine potentiae passivae venit, hoc ipso a Deo exulare, manifestissimum est.

## CCXLIX.

Consequitur hinc *invisibilitas*. Cum enim DEVS esse habeat simplicissimum, et ab omni omnino materia sit alienus, sub aliqua externa specie a nobis concipi non potest, sed tanquam aliquid sublimius omnibus, quae cerni possunt, relinquitur. Quod ipsum quoque saniores haud latuit Gentiles. Ita enim de Deo loquitur EVRIP. *Qui cuncta cernit, ipse se cerni vetat.* Et alius:

*Dic quaeso, qualem fas putas credi Deum?*

*Qui cuncta spectet, ipse non, spectabilis?*

Neque vero ideo, quod Deus statuitur invisibilis, Divinum Esse negatur. Nulla enim est consequentia, cum



fic venti quoque forent negandi, qui pariter invisibiles sunt, quis tamen citra summam absurditatem illos negaret? Similiter et ipsa anima conspici nequit, eam tamen in homine habitare, ex motu corporis colligitur. Potest quidem ipse Deus aliquo videri modo, licet non immediate oculis humanis, mediatetamen, nimirum ex creaturis, quae tanquam effectus suam respiciunt causam. Fluit autem ex hac invisibilitate Dei, quod non sint faciendae imagines ad adorationem, cum Divina essentia atque perfectio omnia transcendat, nec ipsi quicquam assimilari possit. *conf. Grotius de Princ. iur. Nat. pag. 70.* quamvis, cum ipse Calvinianus tuerit, cum grano talis legendus sit.

## CCL

*Quarto continet Veritatem et Iustitiam,* quae ex perfectione Dei pendet, qui omnium omnino creaturarum perfectiones eminentissimo in se continet modo, et a quo omnis imperfectio longissime est remota; Quomodo enim cum a se sit, neque esse suum ab alio habeat, perfectiorem agnoscere queat, vel aequè perfectum. Certe omne dependens independente suo inferius relinquatur, quare ipsam supremam esse oportet; quod autem Summum est, illud quoque perfectissimum sonat: Unum namque sine altero concipi nequit, sed semper intimam important praesentiam.

## CCLI

Vnde hic quoque ex ratione iustitiae locum invenit *poena transgressionis*, quae manifeste cognoscitur ex dictamine conscientiae atque Iure Naturae, ut et minis in conscientia ortis, id quod satis probans supplicia Gentiliam apud inferos. *Praemium* vero illis datum iri, Ius Naturae docet, qui instituunt vitam secundum praecepta

pta

pta Divina, quamvis apodictice hoc non dicitur, sed sperare tamen ex Bonitate Divina iubeat, quemadmodum id ipsum etiam Gentilium permulti crediderunt. *conf. B. DN. D. BEBELIVS l. c. pag. 181.*

## CCLII.

*Quinto Bonitatem* comprehendit, quia omne ens bonum est; cum malum entitativum non detur. *conf. Excellentissimi DN. D. PFEFFINGERI, Theologi Argentoratensis Celeberrimi, et Patroni atque Praeceptoris mei ad cineres usque sanctis prosequendi, erudita Dissertatio de M. A. L. O.* Summum proinde Ens, et Summum Bonum erit. Consequitur hinc cultus praecepti quarti, qui rectius et immediate magis deducitur ex hac, quam ex creatione quoad Ius Naturae nobis cognitum, ex qua voluntate Dei ipsa quoque creatio sequitur; Vnde cultus quidem aliquo tempore stabilitur, non autem praecise dies septimus. Ceterum in genere si ratio colendi Deum et glorificatio Numinis Summi consideretur, variis illa fit modis, videlicet *honore*, quia est Ens Summum; *amore*, quia est perfectissimum; *spe*, quia est optimum; *timore*, quia est omnipotens, omnipraesens et iustum; *obsequio* praeceptorum divinorum, quod ex dictamine conscientiae patet, dicentis: impios poena dignos esse, et interno sensu obligationis, quo nullus non homo Deo obligatur. *conf. B. DN. D. BEBELIVS l. c. pag. 126: itemque LIPSIVS. Pol. lib. 1. cap. 3. §. 1. 2. et Magnif. DN. D. WERDHERVS in Elem. J. N. et. G. p. 122.*

## CCLIII.

*Sexto Omnipotentiam et Bonitatem* simul complectitur, ex quibus attributis creatio cognoscitur, seu potius haec ex creatione, quem demonstrandi modum probat DN. PVBENDORF. *de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap.*

4. §. 3. et *Guil. GROTIUS de Princ. Jur. Nat. pag. 74.* itē- que B. DN. D. *BEBELIVS de off. Hom. Cb. N. et Rev. pag. 179.* Consequitur hinc Dei imperium in homines, quia ex bonitate sua omnia ipsis largitur, totumque mundum per omnipotentiam suam creavit. Esse autem *Bonitatem* fundamentum istius iuris patet; quia ius iustas obligationis causas inducit, quod potentia nuda non facit, cum talis in suo formali Iustitiam non includat, sed magis physicum quid sit vel fortuitum. (in humanis) prout scil. naturae robor vel virium cumulum indicat, quam morale, quod vim iustitiae formaliter habet. Igitur per analogiam ex tali attributo in Divinis (nostro infirmo et imperfecto concipiendi modo) non deduci potest, quod moralis nomine veniat, quia qualis causa, talis effectus; Sed illa per modum non moralis se habet, hoc autem per modum moralis. Ergo non est effectus. Habere autem se Omnipotentiam non per modum moralis, inde quoque patet, quia nos non tenemur, neque debemus nos Illi conformare, neque fuit Illa immediate ex Sanctitate Divina. *Conferantur ea, quae egregie de imperio et Iure Dei, in homines docet B. DN. D. ZENTGRAVIVS, de Orig. Ver. et immus. rect. Jur. Nat. per totum articulum tertium.*

## CCLIII.

Errat ergo graviter *HOBBSIVS de Cive cap. 15. §. 5.* quando putat, Ius Dei in homines debere deduci ex eius sola potentia, quia omne ius in alios est vel a natura, vel a pacto: A natura, dum non sublatum est ab illa propter aequale Ius omnium ad imperandum, hinc qui possit, imperet, potest autem is, cui maiores sunt vires, Ergo tali quoque maius ius relinquitur. Vnde in Deo Summum Ius est, quia nulla dari potest ratio, cur Ius suum non

non exequeretur, cum Eius potentiae nemo resistere possit. Sed responderetur *κατά βλασφ*, si est aequalitas, nulli possunt esse maiores vires, alias aequalitas non erit a natura, aut maior virium vis non erit iusta et secundum naturam; Vnde quod iniustum est, non potest producere ipsum ius aliud, quia qualis est causa, talis quoque effectus erit. Confundit *secundo* ius et executionem. *Tertio* iuris obligationem. *Quarto* committit fallaciam consequentis, dum ait: statutum esse resistere potentissimo, Ergo potens per potentiam ius habet imperandi. Ad reliquas obiectiones erudite respondit *Celeberr. DN. PVFENDORF. de Iure Nat. et Gent. lib. 1. cap. 6. §. 10.*

## CCLV.

*Septimo* comprehendit *Misericordiam*, unde est praemium et Reconciliatio, de qua iure hic loci quaeritur, an Ius Naturae illam nobis manifestet, et quomodo? Quod ad primum attinet, verum omnino est, quod de illa Ius Naturae apodictice nihil sciat, quamvis uti nonnullis videtur Philosophis, ea probabiliter ex *Misericordia Summi Numinis* colligi possit, quod etiam *Gentilium* multos credidisse, testatur *Robert. SCHARROCK de off. sec. Ius Nat. pag 129.* De modo vero reconciliationis, si quaeratur, an Ius Naturae eum manifestet? negando responderetur, quandoquidem talem prorsus ignorat, et unice a revelatione pendet.

## CCLVI.

*Octavo* continet *Providentiam*. Providum enim supremum in Coelis Numen est, quod res humanas serio curat, ac singulis momentis conspiciendos praebet *Bonignitatis* suae rivulos, quibus mortalium recreat mentes. Id pluviam demittit Coelo, quae terram penetrat, quo

quo exoptatos ferat fructus, qui animantium conservandae inserviunt vitae. Ea summi huius rerum Arbitri est Bonitas, ut iucundam diei atque noctis constituerit alternationem, quo et labori suum esset destinatum tempus, et somnum quoque debitae exciperent horae, sine qua vicissitudine hominum pariter ac bestiarum miseranda foret vita, imo nulla, iuxta illud Poetae;

*Quod caret alterna requie durabile non est.*

Talem observat severus hic iudex Iustitiam, ut gravissimas libidinis peccatoribus infligat poenas, nec mala commissa patiatur abire impunita. Quam sane Providentiam, et providam Dei in mortales curam, ipsi quoque praedicarunt Gentiles. Sic enim ait Poeta Sulmonensis:

Nec secura quies illum, similisque sopori  
Detinet.

Et alius ita loquitur:

- - - Nostri interim

Non est, qui curam habuerit extra unum Deum.  
Tolle igitur Supremi Numinis Providentiam atque curam, et sic ipsum quoque negabis DEVM.

CGLVII.

Nemo ipsam complectitur *Omniscientiam*, cum Deus varias cunctarum rerum naturas, diversamque illarum concurrentiam atque multiplices eventus, imo omnia, quae in hac universitate obvia occurrunt, habeat perspectissima, evidentissimeque cognita. Haud enim eum fugiunt ea, quae a liberrimo suo arbitrio, efficacissimaque sunt producta voluntate, quin potius accuratissimam omnium creaturarum habeat notitiam. Et nonne omnium actionum humanarum observatorem prodit vel sola Reipublicae consideratio, quae ne quidem

dem animo concipi potest absque foro iudiciario, et sic consequenter absque Iuris Iurandi religione, quae sane supremi Entis supponit Omniscientiam, qua veri falsique est conscius, severumque periuriorum agit vindicem atque ultorem.

CCLVIII.

*Denique etiam spectat summi Entis aeternitatem, quandoquidem Ens in sua Essentia permanens est, quod indefectibilem possidet Existentiae suae durationem. Cum enim nec a parte ante, nec a parte post determinari queat, et sic initium atque finem respuat, hoc ipso simul omnem omnino durationis successione excludit, qua stante, et ipsa stat Entis sic existentis atque durantis aeternitas, quod certe et ipse agnovit CICERO, ideo etiam in Tuscul. quaest. Deum vocat mentem solutam quandam et liberam et segregatam ab omni concretionem mortali, omnia sentientem et moventem ipsamque praeditam motu sempiterno. Et detestissimus quidam Poetarum sic canit:*

*- - - - -*  
*Ignorem conspice mundi  
 Unus is, aeternus, suntque omnia facta per unum.*

CCLIX.

Ergo non solum quod DEVS sit, sed etiam quibus Ille sit ornatus attributis, Divinam indignantibus Eminentiam, naturale assequi valet Lumen, cuius proinde praestantia merito haberetur magna, cum ad tantam illud ab Optimo Deo sit elevatum dignitatem, quanta nulli creaturarum visibilium contingit. Ut ita non immerito animum nostrum subeat miratio, quod inter eruditos nonnulli reperiantur, qui et existentiam Dei, et Eius attributa e luminis emanationis apodictice probari posse negant; cum tamen utrumque vel ex solo Gentilium testi-

V

monio

monio in confesso sit, et quemvis propria sua convincat ratio, nisi malitiose ei resistere velit. Et si examinemus argumentum, quo illi nituntur, qui verae adversantur sententiae, apparebit; illud omni omnino destitutum esse robore. Quid enim dignitati sacrarum Literarum decedit? si Deus statuatur naturaliter cognoscibilis, cognoscibilia pariter attributa Divina, nullum video periculum, quod secum haecce trahat locutio, sed adversa potius pars in aliquod incurrit, dum iniuria est in dona, divinitus homini concessa, imo facit, quod horrendum est, negando omnem Dei notitiam, dum naturalem et insitam negat. Eadem habentur *in dissert. nostra iam saep. cit. pag. 19. usque ad pag. 24.* quae ut hic apponerentur, convenientissimum iudicavimus.

CCLX.

Haec autem religio ad salutem aeternam consequendam non sufficit, quandoquidem imperfecta est *primo* ratione cognitionis Dei, dum ignorat Christum extra quem non datur salus. *Secundo* ratione nostrae miseriae, quam licet ex materiae vitio provenire Gentiles dixerint, veram tamen eius originem, gravitatem, et reatum scilicet damnationem ignorarunt. *Tertio* ratione termini scilicet vitae aeternae, quae non firmiter colligitur ex ratione. Atque ita imperfecta est ratione obiecti, sed et insuper talis audit ratione subiecti, *primo* ob defectum virium colendi Deum recte ex toto corde, unde Gentilium virtutes nec legaliter, nec Evangelice sunt bonae quoad substantiam, multo minus circumstantias, contra Pontificios et Calvinianos. Qua de re peculiarem conscripsimus disputationem, *de Virtutibus Gentilium* inscriptam, et sub praesidio Magnifici DN. D. WAGNERI, *Theologi Argent. Primar. longe Celeberrimi, itemque Patroni*

erone atque Praeceptoris pie et demisse ad cineres usque coten-  
di, solenniter defensam. Secundo ob ignorationem, modi  
cultus, unde orta est ἐθελοθησια. Tertio ob igno-  
rationem modi reconciliationis, quae, aut in desperatio-  
nem homines inducit, aut in perpetuam dubitationem,  
ita ut nunquam quietum habere possint animum. Con-  
ferri meretur de cultu in genere Guil. GROTIUS de  
*Princ. Iur. Nat. pag. 84.*

CCLXI.

Quaeritur autem hic, an religionis huius funda-  
mentum indirectum sit socialitas? et responderetur ne-  
gando contra DN. PVFENDORF. *de off. Hom. et Civ. pag.*  
*36. §. 13.* Quia primo finis socialitatis repugnat saepe natu-  
rae Dei, ut fuit multitudo Deorum apud Romanos, qua  
populus continebatur in officio. Nec obstat expositio  
GROTII *de Princ. Iur. Nat. pag. 88. §. 18. et p. 89.* de Deo  
naturali et popularibus. Sic enim nihilominus finis  
socialitatis probatur, requisivisse illam multitudinem  
Deorum apud plebem, licet non apud eruditos. *Secun-*  
*do* non est fundamentum ob suam imperfectionem et  
insufficientiam, qua multo latior est religio, illa autem  
nec de vero cultu aut sollicita est, aut eum tradere potest.  
*Tertio* denique non est necessarium socialitatis conse-  
quens, cum etiam Athei tranquille vivere possint in so-  
cietate. Conferri meretur B. DN. D. ZENI GRAVIUS  
*lib. cit. pag. 166 et 167.*

CCLXII.

Officiis erga Deum expositis, demonstratisque,  
recte nunc transitus fit ad officia, quae sibi ipsi debet ho-  
mo. De his autem potissimum tria notari merentur,  
*primo* an sint? *secundo* cur sint? et *tertio* quae sint? Quod  
ad primam attinet quaestionem, an sint? sive an homo



sibi aliquid debeat? affirmando respondetur, quia *primo* homo est sibi ipsi proximus, *secundo* non a se ipso, et denique *tertio* in partem sibi habet *Φιλανθρωπία*.

CCLXIII.

Ratio *prima* exinde valida est, quia etiamsi fingas statum naturalem, nihil est, quod hominem propius accedat, si respectum supponas ad socialitatem. Item sibi proximus est amore, quia amor effectus unionis, ubi autem maior unio, ibi maior amoris effectus est, nulla vero maior reperitur coniunctio, quam hominis secum. Ratio *secunda* supponit hominem creaturam esse, cuius natura proinde dependet ab alio, quae dependentia infert obligationem, nihil contra se audendi, nisi quod Dominus de ipso statuat, quia non est suus, sed alterius. Haec de iure, iam Lex naturae prohibet non tantum sui destructionem, sed et ob concessa media conservationem praecipit. *Ultima* ratio ad primam naturae spectat, non praecise talia, sed coniunctim cum homine, quemadmodum homo non consideratur ut animal nudum, sed ut animal rationale, quamvis nec inepte ab illis deducantur officia sibi debita, licet non perfecte et ultimato, sed imperfecte et reductive, ut ipsis consideratis deinde pergamus ad respectus alios quoque rationalitatis, socialitatis. Conferri meretur B. DN. D. ZENTGRAVIVS l. c. pag. 179.

CCLXIV.

*Secundo* quaeritur, cur sibi aliquid debeat homo, ac quo fundamento? et respondetur distinguendo, *primo* inter fundamentum ultimum et primum, *Secundo* adaequatum et inadaequatum, ac *tertio* proprium et commune. Fundamentum *primum* dicitur non ratione dignitatis, sed ratione ordinis deducendi et demonstrandi,

di. et alias fundamentum proximum dici solet. *Primum* autem est ratione effendi primum ut Deus, et dependentia hominis a Deo, sed non primum est ratione demonstrationis, ubi remote devehitur demum per plura argumenta ad illam. Deinde fundamentum *adaequatum* est, ex quo omnia officia possunt deduci, quod aequale est, superstructo quasi aedificio de eo, quod homo sibi debet. *Inadaequatum* vero audit, ex quo non omnia possunt deduci officia, ut est socialitas, quia etiam iuxta **HOBBSIVM** *de Civ. lib. 1.* in statu naturali belli homo sibi aliquid deberet, cum nulla esset societas, scilicet quia nihilominus obligaretur homo ob Deum, a quo est. Sic etiam quia animae cura ex sociali vita non praecipitur aut deducitur, vel saltem imperfecte et remote, imo nonnunquam negligitur. Denique fundamentum *commune* est, quod aliis quoque competit animantibus, ut est nuda sui conservatio citra dependentiam in statu naturali, *conf. Illustris DN. PVFENDORF. de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 1. §. 4.* quando homines considerantur per fictionem, si nimirum homo a nemine dependeret: quorum quoque referri possunt prima naturae praecise spectata, quae totum fere huius status fundamentum sunt, id quod et **DN. PVFENDORF.** innuit *loc. cit. §. 8.* *Proprium* vero fundamentum est, ex quo sola hominis officia deducuntur, et quod soli homini competit.

CCLXV.

Responderetur nunc ita ad quaesitum. Fundamentum primum, adaequatum et proprium est ordinatus sui ipsius amor, quia *primo* hic continet illa perfecte, quae singula inadaequare et commutua suadent: et *Secundo* quia ex hoc sufficienter et proxime illa cognoscuntur. Quae ita clarius proponere lubet. Dicitur

*ordinatus amor*, quia ordinem observat principii sui quoad esse, vivere et operari, quod est Deus: Vnde quia homo se diligit propter Deum, magis Deum diligere debet, quam se ipsum, conf. B. DN. D. ZENTGRAVIUS *J. c. pag. 180.* Diligit autem se propter Deum, dum ab Illo dependet; Ipse perfectissimus est, cui se assimilare vult, ac proinde se non potest odio habere. Deum ergo magis diligit, quia propter quod unumquodque tale, id ipsum magis tale. Hinc quia diligit propter se proximum et propter Deum, Deum magis, et se post Deum, et post proximum diligere debet. Altera ratio patet partim ex dictis, partim quia ex iis deducitur, quod sibi homo debet ratione totius et partium i. e. ratione suppositi et corporis et animae, positive, quoad conservationem, negative, quoad fugam eorum, quae nocent, et ratione finis singularum partium, animae decus, et post hanc vitam animae bene esse, corporis item robur in hac vita. Sicut autem diligit corpus propter animam, ita quoque huius maior cura esse debet, et quia hanc propter se totum diligit, hinc cura utriusque coniunctim et amor summus est.

## CCLXVI.

Denique *tertio* quaeritur, quaenam sint illa officia, et quot sibi debeat? ac responderetur triplicia esse, alia *animae*, alia *corporis*, alia *totius hominis*. Animi seu animae officia differunt a reliquis, vel ut perfectius ab imperfectiori: Deinde cernitur quoque differentia ratione finis; cum anima ad aliam adhuc, quam ad hanc vitam terminetur, per se vero corpus non item, licet ex revelatione totus homo, anima et corpore constans, ad aliam tendat vitam. Officia corporis sunt imperfectioris conditionis ratione subiecti, non autem formae, quae moralis est: Differunt ab officiis animae et totius hominis, ut

ut commune et proprium. Nam et corporis cura est brutis commendata a natura, animae cura tantum homini. Officia totius hominis ex praecedentibus quasi resultant, et necessitate atque praestantia reliqua superant, quia aliquid superaddunt. Respiciunt enim hominem non tantum ut animal rationale, sed etiam ut sociale.

## CCLXVII.

Officia animi considerari possunt, vel prout sunt simpliciter et absolute necessaria, quemadmodum virtutes; vel secundum quid et ex hypothese certi alicuius status, ingenii, ut Nobilis non opificia vilia, et rusticus rudis regnandi artem non callere velit, si stupidus inprimis sit. Secundum quid etiam ab ingenio bono literae et honestiora artificia eligi possunt, unde non sunt simpliciter necessaria. *conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS l. c. pag. 185.*

## CCLXIX.

Officia corporis animi officiis necessariis absolute cedunt et post habentur, si quidem alterum faciendum, alterum vero omittendum sit. Secundum quid autem non item. Nam horum quandoque necessitas maior, quam illorum. Sic sanitas corporis in infirmo praefenda est literis, si hae amissae sanitatis causa sint, siquidem vita amissa pereunt notitiae hominis seu usus inter homines, non autem literis omissis, quae accidentia sunt, vita autem iuris Naturae praeeptivi. Unde non simpliciter probatur, quod DN. PVFENDORF. *de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 5 §. 4. et de iure N. et G. lib. 2. cap. 4. §. 3.* ait: de eligendo genere vitae, breviante vitae tempus.

## CCLXIX.

Corporis officia vel tantum corpus respiciunt, ut sanitas, labor honestus, formae decor non negligendus;  
nec

nec nimis alendus: vel simul quoque respectum habent ad animum, ut ira, amor, gaudium, tristitia, prout haec fluunt ex corporis qualitate et quantitate. *Conf. Guil. GROTIUS de Princ. Jur. Nat. pag. 140.* Officia autem quae animum quoque respiciunt, magis necessaria sunt, quia respiciunt partem nobiliorem et propius accedunt ad virtutes atque ea, quae homini sunt magis propria, quam reliqua, quae etiam sunt communia brutis.

## CCLXX.

Officia totius hominis vel immediate ex toto composito resultant, ut e. g. vita, quae facit, ut officia corporis et animae simul sint necessaria, quia pertinet ad conservationem totius compositi. Vel mediate resultant, ut actiones corporis, quae simul animum excolunt, ut peregrinationes, itinera. Haec autem illis cedunt, quia sunt quasi accidentia subiecto, quibus destructis, illud manet, non autem contra; Haec fluunt ex fine, propter quem homo est conditus, scilicet proximum et societatem.

## CCLXXI.

Quaeritur hic *primo*, an liceat sese vitae periculo exponere propter alios? et respondetur affirmando, *primo* si fiat autoritate publica. *Secundo* si fiat certitudine et necessitate privata, quia est tacitus consensus in tali casu, vel saltem supponitur. *Conf. Illustris DN. PVFENDORF. lib. 2. de iure N. et G. cap. 4. §. 4.* Unde etiam est ius obfidum.

## CCLXXII.

Quaeritur *Secundo*, an liceat se ipsum interficere? et respondetur negando privata autoritate etiam ob quamcunque causam aut finem, quia talis est iniurius in Deum, dum destruit vitam, cuius ipse Dominus non est

est. *Deinde* etiam iniurius est in se ipsum tam ratione animae, cum se praecipitem det in gehennam, quam ratione corporis, cui damnum infert. *Denique* etiam iniurius est in societatem, cuius membrum esse definit. Conferri meretur. DN. PVFENDORF. *de Jure N. et G. lib. 2. cap. 4. §. 5. et de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 5. §. 4.*

CCLXXIII.

Haecenus quid liceat in vitam propriam. Iam quid in vitam aliorum propter suam liceat, merito disquiritur. *Quaeritur igitur tertio*, an liceat alterum interficere, quando uterque est privatus, et affirmativa sententia defenditur, sed, ut fiat cum moderamine inculparae tutelae, quae oritur ex iusta causa, modo et tempore, *causa*, ut sine ullo iure ab altero petar, vel falem sine iure sufficiente, *modo*, ut sit periculum mortis imminens, ut aut mihi, aut alteri sit pereundum, *tempore*, ut sit praesens et instans. Nam de praeterito aut futuro non est licitum, *vid. Guil. GROTIUS de Princ. Iur. Nat. pag. 178. et Hugo GROTIUS de Jure Belli et Pac. lib. 2. cap. 1. §. 4. 5. itemque PVFENDORF. de Jure N. et G. lib. 2. cap. 5. §. 1. 4. 7. 8. 9.* Atque haec defensio licita est, quia licet vim vi repellere, imo necessaria, si Reipublicae plus ego, quam alter prosim, quid de periculo damnationis aeternae etiam afferat DN. PVFENDORF. *loc. cit. §. 2.* Nam si haec ratio valida esset, neque peccator induratus a Magistratu foret interficiendus.

CCLXXIV.

*Quaeritur quarto*, an liceat aliquem interficere pudicitiae conservandae causa? et respondetur affirmando, quia id lege Divina concessum ac humana, cum non tantum communis aestimatio, sed et Lex Di-

vina pudicitiam vitae adaequet, hinc regula illa communis orta est: Vita et fama pari passu ambulant. *Deinde*, quia sexus foemineus potissimum aestimatur vel aestimari debet propter pudicitiam, dubium non est, quin aduersus aliquem defendi possit.

CCLXXV.

Quaeritur *quinto*, an liceat aliquem interficere ob contumeliam vel acceptam alapam? Celeberrimus GROTIVS distinguit inter iustitiam commutativam, et in respectu ad hanc licere ait; et inter doctrinam Evangelicam, et hoc respectu non licere dicit. Sed negativa quaestionis sententia tutissima, et Sacris literis conveniens est, quia nulla datur proportio inter alapam et vitam, itemque honor hoc modo laesus recuperari potest, non autem vita. Sic etiam nulla adest necessitas interficiendi alterum, Ergo nec inculcata tutela, adeoque nec licet.

CCLXXVI

Quaeritur denique *Sexto*, an liceat aliquem interficere etiam propter res, et responderetur distinguendo, *primo* inter res exigui et magni momenti. *Secundo* inter res, quarum usus simpliciter necessarius, et inter res, quarum usus non ita necessarius est. *Tertio* inter id, quod licet propter res per se tales, et quod licet propter res ex alio principio. Quoad *primam* distinctionem exemplum est tota pecunia, et aliquis nummus, vel similis res vilis. Quoad *secundam* distinctionem exemplum est, si quis in extremo necessitatis casu alteri furto aufert panes, quibus ipse indiget, vel artificis seu opifici instrumenta omnia, et si aliquem saltem panem aufers, inprimis quando annona vilis est. Quoad *tertiam* distinctionem exempli loco fur nocturnus esse potest, quem propter

pter periculum vitae et probabilem rationem, interficere licet, sic quoque propter aliam rationem, si quis minutiora furetur, ut occasionem quaerat laedendi.

CCLXXVII.

Atque his distinctionibus praemissis respondetur nunc ad quaestionem ita. Licet propter res ulius summi et maxime necessarias, etiam propter sui defensionem occidere aliquem, quia licet vim vi repellere, quo usque alterius vis non cessat. Deinde etiam ex eo probatur, quia quae est ratio vitae, ea et eorum est, quae ad vitam conservandam sunt necessaria, propter illam autem omnino alterum interficere licet. *Conferatur GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 1.*

CCLXXVIII.

Sequuntur denique *tertio officia erga alios observanda*, de quibus iure quaeritur, *primo an sint? Secundo cur sint? et tertio quid et quae sint?* Quod ad *primam* attinet quaestionem, an sint eiusmodi officia erga alios? affirmando responderur, quia *primo* homo non est solus, *secundo* rerum multarum indigus, et denique *tertio* non est a se ipso. *Primo* ratio ex eo patet, cum plures homo habeat sui similes, unde ex similitudine naturae similis nascitur conditio, quam dum alter non suo merito perdit, homo tenetur restituere ex principio communi, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, et contra. Fundamentum *secundae* rationis itidem solidum est. Nam quia aliorum auxiliis indiget, hinc necesse est, ut accipiat illa, quibus indiget, cum autem deterioris conditionis propter me alii simpliciter esse non debeant, hinc teneor ipsis vicissim praestare officia. *Tertia* ratio ex eo suum robur habet, quia homo non est a se ipso, unde tenetur sequi vim iuris ad illum finem, ad quem se conditum novit, scilicet ad gloriam Dei, eiusque imitari



tutes, aliis benefaciendo, et quantum in se est, civilem felicitatem promoveudo, quod fit officiis erga alios, si finem hunc communem non assequatur homo, sibi sufficiat conscientia bona.

## CCLXXIX.

*Secundo* quaeritur, cur sint eiusmodi officia erga alios, et quodnam illorum audiat fundamentum? ac respondetur, quod illud recte deducatur ex *ἀναρχία*, qua quisque sua sorte contentus est, quandoquidem haec fundamentum salutatur iustitiae unicuique suum tribuentis, quoad corpus proprium, vi praecepti quinti: quoad corpus uxoris, vi praecepti sexti, quoad bona, vi praecepti septimi contra furtum, et vi praecepti octavi contra calumnias, denique vi praecepti noni contra vim clandestinam seu insidias.

## CCLXXX.

*Tertio* denique quaeritur, quatenam sint illa erga alios officia? et respondetur, quod sint *primo* vel hypothetica vel *secundo* absoluta, haec *tertio* sunt vel communia, ex aequalitate hominum resultantia, vel *quarto* propria, quae quibusdam debentur, ut pacta, eaque respicere dicuntur *quinto*, vel verba, ut iuramentum, vel *Sexto* res, ut dominium. De singulis in sequentibus aliquid dicendum erit.

## CCLXXXI.

Officia *primo hypothetica* illa dicuntur, quae ex certa conditione status, et instituto per homines introducto, promanant, ut sunt officia imperantium et parentum, Parentum et liberorum, Dominorum ac servorum. De qua re in parte speciali agitur, ubi societates hae considerationi subiiciuntur, et in cuiusvis officia inquiritur. Vid. DN. PVFENDORF, de off. Hom.

et

et Civ. lib. II. cap. I §. I. ubi et quoruplex alias status sit, exponitur, sed cum grano salis accipiendum est, quod de statibus per homines introductis ibi dicitur.

CCLXXXII.

*Secundo officia absoluta* dicuntur, quae homo debet alteri ex communi obligatione, qua alteri devinctus est, ut quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Unde fluit, neminem esse laedendum. Laesio autem haec alias dicitur damnum, quod est laesio seu corruptio aut diminutio vel sublatio eius, quod nostrum est, vel esse debebat, vel alterius est, vel esse debebat.

CCLXXXII.

*Tertio* haec officia absoluta sunt vel *communia*, quae promissae debent omnes omnibus, et resulant ex aequalitate hominum, quae est aequalitas iuris orta ex obligatione communi ad colendam vitam socialem, quaeque supponit statum hominis naturalem iuxta communem cognitionem propter formae et naturae similitudinem. *conf. Illustris DN. PVFENDORF. de off. Ham. et Civ. lib. 2. cap. I. §. 5.* Non ergo intelligitur hic aequalitas moralis in illis, qui eiusdem sunt dignitatis, quia haec sunt hypothetica officia, nec communia omnibus. Neque attenditur hoc loco aequalitas ut pure physice talis, quae in aequalitate ac paritate virium humanarum consistit, sed uti dictum de aequalitate iuris ac obligationis sermo est, qua aequaliter omnes adstringuntur ad societatem colendam, et qua alter alterum tenetur aestimare ut hominem; Quo ipso tamen socialitas adaequatum fundamentum totius iuris Naturae ac omnium officiorum exinde fluentium dici nequit, quemadmodum egregie id ostendit *Excellent. DN. BVDAE. VS in Elem. Phil. Pract. pag. 250.*

X<sub>3</sub>

CCLXXXIV.

Facile autem probatur, quod hic loci aequalitas iuris, non vero aequalitas Physica locum habeat, (quae paritas virium est, ex qua mutuus metus oritur, ut alter non laedat alterum, quomodo deducit HOBBSIVS *de Civ. cap. 1. §. 3.* apud DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 3. cap. 2. §. 2.* contra quem eruditissime insurrexit, cum Philosophum ageret, *Magnificus Excellentissimusque Vir DN. D. NEVMANNVS, Praeceptor, Hospes, atque communis Argensoratensium Patronus, ad cineres usque sancte prosequendus, in insigni dissertatione de IVRE NATVRAE HOBBSIANO*) Quia haec aequalitas primo non infert obligationem, tollit tantum licentiam alios invadendi, nec infert ius alteri benefaciendi, secundo est angustior et restrictior, quam ut ex ea omnia deducantur officia. Et tertio contra naturam est, quia a natura sublata est; sublata autem esse a natura inde patet, quia nullus homo nascitur alteri plane aequalis, etiam ab ipsa natura.

Sunt autem haec officia communia ex aequalitate orta officia humanitatis, vel indefinitae omnibus in genere, vel definitae quibusdam in specie, sed tamen ex eodem aequalitatis fundamento. *conf. GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 2.* Et eiusmodi officia sunt v. g. concessio rerum innoxiae utilitatis, quae accipienti profunt, danti non nocent, item transitus per alias terras; referri quoque inter ea potest Beneficentia, quae illa dicitur, cum in alterum aliquid, licet moleste nobis, illi tamen utile aut necessarium conferimus gratis, et benevolentia dici solet, ac collatio ipsa proprie beneficium. Differt a priori, quod illa neutrum

trum gravet, nec dantem nec accipientem, haec autem danti gravis est, illa ex rebus est, quae adhuc sunt magis communes, haec etiam ex propriis.

## CCLXXXVI.

Huic gratitudo responder, cum accipiens dantem amat vel favet ei, gratumque sibi beneficium fuisse significat, et occasionem quaerit paria referendi. Sed quaeritur hic, an is, qui ingratus est, alteri iniuriam faciat? et respondetur, simplex ingratitude, qua quis obliviscitur beneficio, non infert iniuriam, quia primo non violat ius proprie dictum alterius, secundo, quia alias non esset beneficium, si ius esset laesum meum in altero, quod mihi acquisivi concessa re aliqua. Beneficium enim est, quod gratis conceditur, et tertio sibi potius iniuriam facit ingratus, dum se indignum reddit ulteriori beneficentia et futuris beneficiis, ac alterius de se iudicium optimum hoc ipso improbat, quod merito pro re turpissima habetur. Aliter vero de quaestione iudicandum est, si intelligatur ingratitude composita, qua quis alteri nocet, et delictum auget, quae sane admitti nequit.

## CCLXXXVII.

Quarto etiam consideranda veniunt officia propria, quae certis tantum personis conveniunt iuxta cuiuslibet lubitum ad hoc vel illud officium eligendum; vocantur alias etiam hypothetica, sed alio sensu, ac supra. *vid. DN. PVFENDORF. de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 9. §. 1.* Fundamentum horum est veracitas, unde fides data religiose servanda est, dicunturque haec pacta, quae sunt, quando alter alteri aliquid concedit, ut aequalia recipiat, si e quoad substantiam, sive quantitatem, sive qualitatem, quae etiam ab altero per vim superioris extorquere potest.

## CCLXXXVIII.

## CCLXXXVIII.

Officium huiusmodi est promissio, quae vel *gratuita*, cum unus promittit, vel *pactum* proprie, cum uterque vel plures invicem promittunt. Estque promissio vel *imperfecta*, cum quis obligatur alteri sine iure exequendi et cogendi, ita, ut alter non possit ab ipso exigere, quod promiserat. Vel *perfecta*, et pactum est inter eos, qui rationis compotes ultroneo consensu ac mutuo sine dolo aut metu promittunt res licitas atque possibiles vel absolute, vel sub conditione. Unde, illa pura dicitur promissio, haec vero mixta vocatur.

## CCLXXXIX.

Quaeritur hic, an pacta per metum expressa obligent? et respondetur distinguendo, *primo* inter metum incussum a compacscente et tertio quodam. *Secundo* inter metum verum et fictum; Et *tertio* inter metum iuste et iniuste incussum. Respondetur ergo, pacta per metum verum a compacscente, iniuste expressa seu promissa non obligant; quia *primo* abest ius, et hinc obligatio. Sunt enim iniusto metu expressa. *Secundo* non sunt ex mutuo consensu et quidem libero, quia metus extrinsecum principium est, cogens hominem, ut externe consentiat, licet invitatus quoad intra. Conferri meretur *Illustris* DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 3. cap. 6. §. XI.*

## CCLXXXX.

Hinc constat filiam, quae metu paterni imperii sponso fidem dedit matrimonii, vere obligari, quia *primo* metus non est a pacifcente, unde qui non est causa metus istius, illi pactum non potest nocere. Promissum enim eiusque vitium redit in causam. *Secundo* vero quia est metus iuste incussum, scilicet ab illo, qui habet ius incutiendi

tiendi, licet forte non iusto modo secundum certas  
circumstantias.

CCXCI

Hinc etiam nemo obligatur ad solvendum furi,  
quod metu intentatae mortis promisit, quia metus est  
iniustus omni modo, et verus, itemque causam promif-  
si sistit. Vnde quia iniusta causa est, nulla locum ha-  
bet obligatio, quandoquidem totum promissum ex ta-  
li causa pendet, ut in dato exemplo. Notandum tamen  
probe hoc est, nisi accesserit iuramentum.

CCXCII.

Porro quinto officia haec respiciunt verba, sive ore  
prolata, sive literis expressa. Obligatur autem homo  
uti iis verbis, quae communi usu significant, et qui-  
dem id, quod animo tenet erga illum, cui obligatur, seu  
cuius est illum interrogandi. Vnde quaeritur hic, an  
liceat uti reservationibus mentalibus, et responderetur di-  
stinguendo, primo, inter reservationes interroganti scitu  
necessarias et non necessarias. Secundo autem, inter refer-  
vationes necessarias ex iure alterius et liberas.

CCXCIII.

Primo reservationes scitu necessariae interrogan-  
ti sunt, quae vel ipsam rei substantiam, vel circumstan-  
tiam essentialem rei concernunt, ut e. g. quaesitus ini-  
micus, cuius adversarius occisus est hora vel hac, vel il-  
la, an illa hora non convenerit istum, respondeat, se  
non convenisse scilicet die, cum noctu patrata caedes  
fuerit, aut contra. Reservatio non necessaria illa dicitur,  
quae accidentalis tantum est, de qua etiam hic non  
quaeritur, sed de illa.

CCXCIII.

Secundo reservatio necessaria ex iure alterius est,

Y

cum

cum quis ius habet interrogandi, sicut Magistratus in subditum, vel aequalis ad aequalem, ubi eius damnum aut utilitas pendet ex reservatione. Illius est, ut quaesitus ille a Suprema Curia in occisione Regis, annon homicida transierit illic? respondit, non transisse scilicet per maneam, Reservationis liberae exemplum illud esse potest, cum Papyrii mater, summis precibus filium flagitans, nosse ex ipso veller, quid actum fuerit in Curia Romana. Licet enim Mater habebat ius in filium, non tamen habebat ius interrogandi, neque filius tenebatur respondere, quia erat extra respectum Parentis interrogatio ista.

## CCXCV.

Respondetur nunc ad quaestionem hunc in modum, nimirum negando. Non licere uti reservationibus mentalibus interroganti res iure necessarias scitu, quia *primo* istae reservationes laedunt alterius ius, eo ipso dum necessariae sunt. *Secundo*, quia est contra finem socialitatis. Et denique *tertio* contra usum et finem sermonis. Singulas rationes ita probatas cupio.

## CCXCVI.

*Primo* laeditur ius, si sint superiores, et violatur obedientia debita, si intercedit aequalitas, illa ipsa laeditur, quia cupio illum esse deterioris conditionis, quam ego sim; si inferiores sunt, veritas evertitur et tollitur e genere humano, unde perniciosissima quaeque sequuntur. *Secundo* contra finem socialitatis peccatur, quia tolluntur mutua officia, pacta. Inducitur enim illis reservationibus diffidentia, metus, quibus spernuntur pacta alterius. Finis socialitatis tranquillitas est, et felicitas civilis, qua quisque, quod suum est, ex iustitia possidet, sed fraudatur non tantum suo

fuo iure, verum etiam afficitur damno, dum nescit id, quod scire debebat. *Tertia ratio exinde valida est, quia sermo est signum animi a natura institutus ad id, licet verborum aptatio sit ex usu. Iam contra naturam est significare contrarium eius, quod in animo est. Deinde sermo non est propter nos, sed propter societatem et alios: Vnde qui loquitur propter se, ut alterum fallat, is contra usum sermonis sive ore prolati, sive scripti, agit.* Conf. Illustris DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. l. 4. cap. 1. §. 14.*

## CCXCVII.

Ceterum sermo duplicis respectus est. *Primum accipitur pro facultate in loquendo, vel pro sono articulado, iuxta sensum priorem sermo omnibus naturalis dici potest, cum homini id sit a Divina Bonitate concessum, ut matura aetate distincte proferre possit, quicquid mente conceperit. Verum iuxta sensum posteriorem falsum omnino est, sermonem esse congenitum, cum alias uno omnes loquerentur idiomate. Quod enim speciei convenit, illud quoque omnibus individuis, quae sub illa continentur, convenire necesse est.*

## CCXCVIII.

Species huius officii est iuramentum, quod invocatio dicitur vindictae Dei omniscii, omnipotentis et iusti super nos, si fallamus in eo, quod iuste a nobis petitur. Vnde illicita sunt iuramenta, nec obligant de rebus impossibilibus vel physice, quae nostras superant vires, vel moraliter, ut quae sunt mala moralia, concepta de rebus, quibus nullus divinitatis sensus intelligitur inesse. conf. Celeberr. DN. PVFENDORF *de iure N. et G. lib. 4. cap. 2. §. 2. et id.*



## CCIC.

Quaeritur ergo an obligent iuramenta per falsos Deos? et respondetur affirmando, quia *primo* iurat per id, quod Deum credit, itaque quantum in se est, vere iurat, et Deum testem advocat. *Secundo*, quia iuramenta ex mente petentis obligant, quae coniuncta est cum obligatione alterius. *Tertio*, quia etiam is, qui falsos scit Deos esse, per quos iurat, obligatur ob intentionem petentis, quae est veritas. Licet enim peccet falsa opinione de Deo contra tabulam primam praecepti primi et secundi, nihilominus tamen obligatur. *Quarto*, ne peccet etiam contra praeceptum octavum et tabulam secundam in genere. *Vid. H. GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 13. §. 3.*

## CCC.

Quaeritur porro, an obligent iuramenta metu extorta? et respondetur distinguendo, *primo*, inter metum iustum et iniustum. *Secundo* inter metum ut causam promissionis iuratae, et non causam. *Tertio* denique inter obligationem ex iure alterius, et Nominis Dei Sanctitate. *Primo* iustus est metus, cuius causa iusta, et obiectum atque reliqua, vel is, qui metum incurrit, ius habet. Iniustus vero metus dicitur, cuius causa iniusta est, nec persona ius habet, sicut latro. Quaeritur autem hic de posteriori. *Secundo* metus saepe solet causa promissionis esse, ita ut si abfuisset, hic non iurasset, sed metus, qui causa promissionis non est, ita se habet, cum hic idem fecisset, si metus etiam abfuisset, ubi metus tantum ut circumstantia accidentalis habetur. *Ultima* distinctio propter H. GROTIUM *lib. 2. de Iure B. et P. cap. 13. §. 14.* observanda est, qui obligari ait, sed potissimum tantum ex reverentia Nominis. Divi-

ni; DN. PVEENDORF. autem de iure N. et G. lib. 4. cap. 2. §. 8. negat obligari, sed rationes eius videntur de obligatione ex iure alterius loqui.

CCCL.

Hiscæ ita præmissis, respondetur nunc ad quaestionem. Iuramenta per vim iniustam et merum causantem extorta obligant ob reverentiam Dei in foro interno; quia *primo*, officia tabulae secundæ cedunt officiiis tabulae primæ, et *secundo*, quia tale iuramentum ex parte spontaneum est. *Primæ* rationis hæc est vis, quia de re licita concepta iuramenta res nostras tantum respiciunt et tabulam secundam, iuramentum autem tabulam primam. Tum etiam quia inter duo mala diversæ speciei moralis et Physicæ, minus scilicet physicum et damnum rerum nostrarum est eligendum. si vero de rebus illicitis sermo sit, per se non obligant, quia impossibile moralium nulla est obligatio. conferri meretur H. GROTIUS de iure B. et P. lib. 2. cap. 13. §. 6. *secunda* vero ratio ex eo patet, quia voluntas non potest cogi; Tum quia extrinseca vis tantum de malo physico, puta damno pecuniæ vel alio cogit, at iuramenti violatio est malum morale. *conf. Idem loc. cit. §. 14.*

CCCII.

*Sexto* denique officia hæc etiam respiciunt: Res, ut sunt dominium et pacta. Quæritur igitur de dominio, unde sit, et quid sit? Quod ad *primam* attinet quaestionem, unde sit dominium? respondetur distinguendo, *primo*, inter dominium universale seu commune et speciale seu proprium. *Secundo*, inter dominium purum et mixtum. *Tertio*, inter dominium plenum et diminutum. *Quarto*, inter dominium plenum eminentis et vulgare. *Quinto*, inter dominium diminutum quoad

quoad exercitium et quoad ipsum obiectum. Et de-  
nique *sexto*, inter dominium directum et indirectum.

CCCIII.

Quoad *primam* distinctionem ante omnia notan-  
dum, dominium hic accipi pro proprietate, quamvis  
alias recte ut causa et effectus distinguantur a *Celeberr.*  
DN. ZIEGLERO ad GROTIUM *de iure B. et P. lib. 2. cap.*  
*2. §. 1.* apud DN. PVFEND. *de iure N. et G. lib. 4. cap. 4. §. 2.*  
Ut proinde nimiae subtilitatis non sit accusandus a PV-  
FEND. *loc. cit.* Etenim hic ex falsa hypothese putat. om-  
ne morale ut proprietas, esse legale, adeoque ab in-  
troducendo pendere dominio, tanquam effectum a causa.  
Sed fallitur, cum omne quidem legale morale sit, sed  
non contra. Datur enim naturale, ut est ipsa proprie-  
tas, ex qua dominium sequitur. Sed iam porro domi-  
nium *universale* respondet communioni negative acce-  
ptae, apud DN. PVFEND. *loc. cit.* et est, cum omnes in  
omnia ius habent, ita ut ex aequalitate originis, aequa-  
le sit ius Domini omnium. *Speciale* respondet commu-  
nioni positive sumptae, et est, cum quilibet habet ius  
in quaedam, in quae alter non habet. Quaeritur autem  
de hoc.

CCCIII.

*Secundo*, dominium purum dicitur in oppositione  
ad communionem puram, quod nullam habet, nec ad-  
mittit communionem akerius. Dominium mixtum ve-  
ro dicitur, in quo aliqua simul est communio, sicut in  
communione mixta adest dominium aliquod. Quaeri-  
tur autem de mixto. *Tertio*, dominium plenum est per-  
fectum dominium in res suas et illimitatum: Diminu-  
tum vero imperfectius est, restrictum, magis ac limita-  
tum. *vid.* DN. PVFENDORF. *de iure N. et G. lib. 4. cap.*

4. §. 2. *Quarto*, dominium plenum eminens dicitur, quod est summi Magistratus, vel simpliciter talis, vel suo modo talis, ut est dominium Regum vel etiam civitatum in suas possessiones. Dominium vulgare est privatorum, sub ratione privatorum, qui ius omnino habent in res suas et possessiones plene et perfecte, nisi quatenus a constitutionibus et legibus cuiusque Magistratus usus illarum rerum dirigitur et cohibetur: Rursus de utroque sermo est.

## CCCV.

*Quinto*, Dominium diminutum quoad exercitium est, quando administratio Domino rei non est libera omni modo, sed ex alterius pendet arbitrio. Dominium diminutum quoad ipsum obiectum, spectat obiecti naturam, ut morale est seu proprium, et accidit, cum proprium non amplius tale manet simpliciter, spectat etiam obiecti effectum seu fructum, qui DN. PVFENDORF. *loc. cit* dicitur emolumentum. Quaeritur rursus de utroque. *Sexto* denique Dominium directum h. l. dicitur quando alteri concessum est ius in rem quoad substantiam et usumfructum, sed tantum quoad tempus certum, seu aliquam perpetuitatem. Indirectum autem dominium habet is, cui conceditur talis rei proprietatis quoad usum et fructum, sed tantum ad tempus, quae proprietatis libera est, non autem perpetua ex rei natura, et a DN. PVFENDORF. *loc. cit.* Dominium utile dicitur. Quaeritur hic de directo.

## CCCVI.

Responderetur nunc ad quaestionem hunc maxime in modum. Dominium speciale perfectum atque eminens et directum non tamen purum, sed mixtum, originem habet ex iure Naturae praeceptivo, Quia pri-

ius Naturae prohibet furtum. *Secundo*, quia alias non possemus liberales esse et iusti. Et denique *tertio*, quia finis socialitatis id per se requirit.

## CCCVII.

Prima ratio ex eo solida est. Si enim non datur proprietas rerum praecepta a Iure Naturae, non datur violatio huius iuris prohibita; Sed datur violatio prohibita in praecepto octavo. Ergo datur praeceptum Iuris Naturae de proprietate, quia furtum rei alienae ablatio est, si autem non datur meum et tuum, aut proprietas, etiam non datur res aliena, qui modus concludendi legitimus est, et a *Consummatissimo Theologo B. DN. D. DANNHAVERG. in Colleg. Decalog. pag. 841. observatus.*

## CCCVIII.

Non minus etiam *secunda* ratio suo gaudet robore. Est enim liberalitas, quae in dando et accipiendo modum servat, dare autem alteri non possumus, quod non habemus. Si igitur Iuris Naturae praeceptivi non est proprietas, a Iure Naturae praeceptivo nihil quoque habebimus, quod dare possimus. Unde nec liberalitas erit Iuris Naturae praeceptivi, quod vero absurdum audit, quoniam Virtus est.

## CCCIX.

*Tertia* denique ratio inde patet, quia iustitia ad finem necessario spectat, et unicuique suum tribuit. Iam si non est rerum proprietas seu dominium a Iure Naturae praeceptivo, non est meum, tuum et suum, et sic nec erit iustitia Iuris Naturae praeceptivi, quod ex eo falsum est, quia attributum sinit Divinum, a quo Deus iustus dicitur, unde et nobis erit praecepta: Sed a negatione ipsius obiecti ad virtutem recte colligitur, et a sublata materia rei ad sublatam rem ipsam.

Secun-

*Secundo* nunc quaeritur, quid sit Dominium? et responderetur, quod sit talis proprietas rei utilis, et quae possideri potest, qua ego de illis pro arbitrio meo disponere possum, et omnes ab illa arcere, qui non per pacta singulare ius sibi a me acquisiverunt. Quam definitionem hunc in modum explico. Dicitur *primo*, quod sit proprietas rerum, et haec ad genus aliquantumque ad differentiam pertinet, quoniam non simpliciter unum et idem sunt dominium atque proprietas, uti supra dictum fuit. *Secundo* petitur differentia ab obiecto, et est res utilis. Rerum enim, quae nocent, proprie non est dominium, quoniam illae a Iure Naturae praeceptae non sunt. Est porro et res, quae possideri potest, licet non in solidum, ut putat DN. PUFENDORF. neque ita, ut eius utilitas inexhausta sit. Nam et lumen per fenestras introiens res est, quae in solidum teneri non potest. Sic etiam oceanus inexhaustae est utilitatis, non tamen cuius usus liberrimus relinquatur, sed tantum illarum partium, quas alii nondum occuparunt. Quam in rem conferatur GROTIUS de *Mari libero*, et SELDENUS de *mari clauso*. *Tertia* denique differentia petitur a fine, qui est vel absolutus, ut libera mea dispositio, vel respectivus, ut arcere akerum, citra pactum res meas appetentem.

Modi acquirendi domini sunt in duplici respectu, et vel *originarii*, audiunt, vel *derivativi*. Illi sunt, quibus proprietas rerum primo introducitur, *bi* vero dicuntur, quibus dominium transfertur ab uno in alterum. Originarii rursus sunt vel *simpliciter tales*, et ipsam rei substantiam concernunt, ac proprietatem circa ipsum corpus; vel *secundum quid*, et accidentium

tantum sunt vel circumstantiarum, aut etiam incrementi, ut ovium pascuis. Sic possessio arborum originarius modus est simpliciter, quoad fructum vero est secundum quid: Fructus autem hi sunt vel *naturales*, ut fructus arborum, vel *civiles*, ut usura. Derivativi etiam vel naturales sunt, ac Iuri Naturae suam debent originem immediate et perfecte, ut hereditas ab intestato. Praesupposito enim dominio rerum sine interventu legum civilium res defuncti perveniunt ad eos, quibus maxime a natura bene voluisse debuisset defunctus; hi autem sunt, qui coniunctissimi, inter quos maxime liberi, nepotes, horum parentes, fratres, sorores. Id quod contra DN. PVFENDORF. *de Iure Nat. et Gent.* lib. 4. cap. 10. §. 4. notandum est, qui negat originem domini de successione ab intestato Iuris Naturae praecipivi esse. Pertinet et hac donatio, quae vel *simplex* est, ut cum quis alteri gratis concedit, ad quod non erat communi aut privato iure obstrictus. Sic est donatio ante mortem v. g. cum quis donat alteri vel rem retento usu fructu, vel contra, idque vel absolute, vel conditionate. Si iam moriatur, vel donatarius sese gerat bene erga donantem. Vel est donatio *reciproca*, qualis est inter amicos, et a contractibus differt, quod nullam requirat aequalitatem, alias nomine permutationis venire solet, sed late acceptae tantum, quoniam permutatio contractus species est. Demde derivativi vel *adventitii* sunt, qui demum, illis a natura constitutis, superveniunt, et a Iure Gentium potissimum introducti censentur, ut putat de origine hac GVIL. GROTIUS *de Prims. Iur. Nat. pag. 258.*

## CCCXII.

Officia circa Dominium et ex eius natura resultantia sunt *primo abstinentia ab alieno*, ideo quia alienum est. Si enim id, quod meum non est, citra alterius consensum meum fiat, est iniustitia, quae non tribuit unicuique suum. *Secundo alienae rei restitutio*, quamdiu aliena est, res autem hic et personas notant. Et haec restitutio est vel rei *extantis adhaerens*, vel rei non *extantis*. Sicut Moralium Doctores eam communiter dividere solent.

## CCCXIII.

Itaque tales adventitii contractus sunt, ubi de pretio rerum, quod ad contractus necessario requiritur, quaeritur, *primo* quid sit? et *secundo* quomplex sit? Quod ad *primum* attinet quaestionem, nimirum quid sit? respondetur, quod proprie fit valor rerum in commercium venientium, vel etiam actionum, ortus ex illarum natura aestimabili, qua res invicem comparatae permutari possunt. Singula haec sic explico.

## CCCXIV.

Dicitur *primo* quod fit *valor*, sive certa aestimatio et diiudicatio dignitatis alicuius rei, ut pretium annuli viginti imperialium est ille valor et aestimatio dignitatis annuli ad viginti imperiales. *Secundo* dicitur *rerum in commercium venientium*, quae usum aliquem habent in vita humana et profunt, vel ad necessitatem suppleant, vel ad delectationem. Non igitur inhonestarum et impossibilem, qualis res inhonesta locatio operae meretriciae est, quamvis etiam pretium dici possit, sed abusive, quia nulla potest esse proportio inter locatam rem et aestimationem. Illa enim turpitudinem infert, qui valor hic loci non intelligitur, uti nec ad finem so-



cialitatis facit. *Tertio* dicitur *natura aestimabilis*, quam *Celeberr. PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 5. cap. 1. §. 2.* soli quantitati adscribit, ex eaque oriri existimat, quae quantitas moralis ipsi est aestimativitas, sed haec formalis ratio non est, quia etiam in qualitate reperitur, in moralibus, in certis statibus, in Physicis, in colore rubro purpureo, caeruleo. Aestimabiles autem hae res dicuntur, quia earum natura in se apta est, alteri praestare utilitatem. *Quarto* dicitur *comparatae*, quae comparatio est collatio dignitatis utriusque rei vel usus ex utraque resultantis, cum iuxta se ponuntur et utriusque praestantia inde diiudicatur. *Prima* definitionis verba sunt *permutari possunt*, adeoque finis est, quod pretium reum interserviat contractibus, et permutationes dicuntur non praecise rei et rei, sed rei et operae, operas et nummi, vel aliorum, quocumque nomine veniant.

CCCXV.

Quaeritur nunc *secundo*, quotuplex sit? et respondetur duplex, nimirum vel *vulgare* vel *eminens*. *Istud* dicitur, quod omnibus rebus communiter inest, sive actiones sive res sint, estque ab ipsa natura quasi introductum et immediate e natura resultat, ut panis vel frumenti pretium, cuius fundamentum aptitudo rei iuxta *DN. PVFEND. de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 14. §. 3.* Hoc vero est, quod reliquarum omnium rerum aequalem dignitatem habere censetur, et ab hominibus introductum est, ut pecunia, nummus. *Conf. Idem. de Iure N. et G. lib. 5. cap. 1. §. 12. 13. et seq.*

CCCXVI.

Iam de contractibus agendum erit, quaeritur ergo quid sint? et respondetur: Contractus stricte dictus est pactum circa res, quae venire possunt in commercium.

ciunt. Dico ~~primo~~ *contractus* *strictè dictus*, quia alias latissime etiam accipitur, et sub se pacta complectitur. *vid. DN. PVFENDORF. de off. Hom. et Civ. lib. 1. cap. 15. §. 1. Dico secundo pactum*, quod quasi genus est iuxta Juris Consultos apud DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 5. cap. 2. §. 2.* quamvis illi displiceat, speciem tamen pacti contractum vocat GVIL. GROTIUS *de Princ. Jur. Nat. pag. 257. cap. 16.* Nobis autem pactum hic notat non quidem præcise negativam conventionem, ut putat DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. loc. cit. §. 4.* sed conventionem in genere, prout pacta in specie et contractus sub se complectitur. Dico denique *quæ venire possunt in commercium*, quibus verbis differentia innuitur specifica ab objecto petita, quia respicit res, certo pretio valentes ad mutuam permutationem seu commercia. Pacta autem simpliciter et strictè talia alias res complectuntur, nec sunt ita relativa *vid. GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 12. §. 3.* Non igitur requiritur mutua iuris translatio, quia hæc effectus est, qui in executione spectatur contra HOBBS. apud DN. PVFENDORF. *loc. cit. §. 1.* Originem et alia tradit GVIL. GROTIUS *de Princ. Jur. Nat. pag. 258. §. 2.*

CCCXVII

Quæritur *secundo* quotuplices sint contractus? et responderetur *primo* vel *nominati* vel *innominati*, et *secundo* vel *benefici*, vel *onerosi*. *Contractus nominati* dicuntur, qui ob frequentem usum acceperunt nomen, quod exprimeret ipsorum naturam et formam, ad hos refert GVIL. GROTIUS *de Princ. Jur. Nat. pag. 261.* commodatum, emptio venditio, mutuum. *Innominati* sunt, qui peculiare nomen non sortiuntur, ut do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias. *Conf. GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 12. §. 3.*

Secundo contractus sunt vel *Beneficia*, quando alteri parti accedit aliquod commodum gratis; et hi varii sunt notante GROTIUS *de iure B. et P. lib. 2. cap. 12. §. 2.* ac hinc merantur commodatum, mandatum, depositum. Vel *onerosi* sunt, cum utraque pars contractentium adaequale onus obstringitur, vel quando aequali ratione pretii vel absolute vel relative invicem permutantur; Vnde GROTIUS *de iure B. et P. lib. 2. cap. 12. §. 3.* dicantur hi contractus permutatorii, et iuxta ipsum tres sunt *loc. cit. do,* ut des, do, ut facias, facio, ut des.

CCCXIX.

Primo igitur agendum erit de contractibus Beneficiis, qui tres sunt *mandatum, commodatum et depositum*. In singulis notanda semper venit definitio et divisio. Mandatum igitur est gratuita cura negotiorum alterius vel committentis vel iubentis istam operam. Aliter GROTIUS definit, qui praestationem operae vocat. Dividitur autem mandatum vel ratione *subiecti*, vel ratione *formae*.

CCCXX.

Mandatum ratione *subiecti* consideratum, vel in *aequali* spectatur saltem quoad contractum, vel in *superiori*: Si Superior et Magistratus, praestanda opera est, quam promisi, et ille praecipit eodem modo, quo praecipit. Si aequalis, valet quoque administratio per impletionem aequipollentis. Mandatum vero ratione *formae* tale, vel *absolutum* est, quo res alterius consilio et praedictoriae permissitur, vel *hyperbeticum*, cum praedictoriae certae alicuius formulae agendi et procedendi in commisso negotio, quae, cum ab imperante est, simpliciter obligat, non autem in aequali, si non inde eveniat damnum, alias tenetur mandatarius ad restitutionem damni.

CCCXXI.

CCCXXI.

Commodatum est gratuita concessio rei alicuius ad usum, et distinguitur tam a precario quam a mutuo. Nam commodatum talem respicit contractum, qui ad certum tempus et certum finem rem, conceditur, et illo tenetur quis stare. Sed in precario rem repetere possum pro lubitu. Deinde in commodato non transfertur dominium, at in mutuo res secus se habet, et dominium transfertur in accipientem, spe recipiendi in eadem specie.

CCCXXII.

Commodatum ratione subiecti uniuersale est, et ad omnes, qui contrahere possunt, se extendit, ratione obiecti est vel rerum *mobilium*, ut pecuniae, vel *immobilium*, ut fundi, vel *corporalium*, ut equi, vel *incorporalium*, ut habitationis. In hoc autem contractu summam commodatarius tenetur adhibere curam, qualem ipse in suam adhibuisset, alias lata levis et quaecunque culpa obligat ad restitutionem etiam in casu fortuito, nisi in simili casu fuisset apud Dominum, ut in incendio aedium, cuius proximae commodantis simul confragant, cum leuam et alia mihi commodauit. Conferri omnino meretur. *Illustris DN. PVFEND. de Iure N. et G. lib. 5. cap. 6. et G. II. GROTIUS de Princ. Iur. Nat. pag. 285.*

CCCXXIII.

Denique *Depositum* est commissio rei nostrae alterius fidei, et custodiae. GROTIUS est praestatio operae in re custodienda, et ad hanc custodiam requiritur praestitio. Dividitur autem ratione subiecti in *publicum et privatum*, illud est, cum lite pendente res Magistratui committitur custodienda, hoc vero dicitur, quando res aliqua deponitur apud hominem bonae fidei sine litis

litis pendentia. Ratione formae, vel *simplex* est intra privatos extra lites, idque vel *voluntarium* audit, ut cum quis profecturus huic non illi pecuniam suam committit: vel *coactum*, ut tempore incendiū bonorum in loco proximo depositio: Et in tali casu depositarius tenetur ad culpam suam damnum datum restituere, non autem in negligentia, iudice GVL. GROTIUS *de Princ. Iur. Nat.* pag. 289. quam tamen negligentiam rectius non admittere vult DN. PVFEND. *de Iure. N. et G. lib. 3. cap. 4. §. 7.* Quia intercedit aliqua amicitia in hoc contractu ob praesumtam eius probitatem. Vel est *compositum*, quod idem ac *conditionatum* seu *hypotheticum* sub certa praescripta formula non in iudicio, sed extra lites inter privatos.

CCCXXIII.

Contractus *beneficos* excipiunt *onerosi*, qui sunt sequentes, Permutatio, Emptio venditio, Locatio conductio, mutuum, contractus societatis, aleatorius contractus, fideiussio et pignus; de singulis breviter. *Permutatio* est concessio rei pro re, atque haec antiqua est permutatio ante inventam pecuniam populis usitata; et dividitur in *simplicem* et *compositam*, illa est, cum tantam res inter se dantur valoris aequalis, haec vero alias mediata, vel potius mixta dicitur, qua mediante pecunia res conceditur.

CCCXXV

*Emptio venditio* est concessio rei vel eius domini pro numerata pecunia, et vel *perfecta* dicitur, quando perfectus consensus accessit, et traditur merx seu pecunia utriusque: vel *imperfecta*, quando consensus non est perfectus, nec res statim traditur, ipsa tamen traditio non semper necessaria est, sed ad executionem spectat.

stat. Atque haec rursus vel *absoluta* est, quando sine pleno consensu absque tamen conditione, res tractatur, vel *conditionata*, cum obligatio pendet a conditione, contractus addita. In perfecta poenitentiae locus nullus est, at in imperfecta, sive absoluta sive conditionata, si conditio non adimpleatur. Similiter post perfectam, damnum rei venditae redundat in Dominum, si fiat extra dolum aut culpam. *Qua de re vid: DN. PVFEND. lib. 5. cap. 5. §. 3.*

## CCCXXVI.

*Locatio conductio* est concessio usus rei aut operae alicuius personae pro soluta pecunia. Estque vel *generalis*, qua concessio omnium rerum usus aut operae personae promiscue datur, uno nomine dicitur locatio conductio. Vel *specialis*, quae pro diversitate obiecti diversa sortitur nomina, in personarum autem locatione non sunt certa nomina, sed promiscua, contra in locatione rerum, ut conductor aedium dicitur inquilinus, agri colonus. Sic una eademque opera v. g. itineris monstratio pluribus locari potest, ita tamen, ut nimium non gravetur conductor. Ceterum ordinarie pensatio facienda est post acceptum rei usum, si vero res pereat, aut fructus intercipiatur, inquiri debet, an locatoris culpa perierit? an vero conductoris? si huius, damnum in conductorem redundat, nisi talis casus expresse sit exceptus. Si vero contigerit damnum citra culpam utriusque, et locatoris et conductoris tum nulla opus est pensatione. Si vero operarum fiat pensatio, opera prius praesura esse debet ac continuata et non interrupta.

## CCCXXVII.

*Mortuum* est rei alicuius concessio hac lege, ut post certum tempus idem genere, quantitate et qualitate recipiat

cipiat, et tales res concessae vocantur fungibiles. Mutuatio autem est vel *gratuita*, cum non plus recipitur, quam mutuo datum est, vel *non gratuita*, cum pro mutuatione aliquid persolvitur, quod pretium usura dicitur, et licita est, si sit officii gratia, modica, compensatoria, et parva inter aequales, vel saltem non pauperes. Vnde solita eius regula est, et generalis: Si usurae stant intra compensationem eius, quod abest aut abesse potest, non pugnant cum naturali aut Divino jure: Si vero eum modum excedunt, impunitatem praestare possunt, sed ius dare nequeunt.

## CCCXXVIII.

*Contractus societatis* est, cum plures in spem lucri honesti conferunt pecuniam aut operam, ut iuxta proportionem pecuniae aut operae damnum vel commodum recipiant. Et haec societas est vel inter mercatores *negotiatoria*, vel *navalis* contra Piratas. Porro est vel *regularis* et *pura*, quando nuda est societas, ut omnes, sicut de commodo, ita et damno, participant, vel *irregularis* et *mixta*, quando contractus accedit societati, ita ut unus sit particeps lucri immunis a damno. Denique etiam ratione bonorum vel omnium *universalis*, vel paucorum *particularis* est. Varias societatis huius regulas tradit GVIL. GROTIUS *de Princ. Inr. Nat. pag. 345.*

## CCCXXIX

*Aleatorius contractus* (quorsum pertinet sponso, quando duo certo pignore contendunt de eventu alicuius rei, ubi is pretium capit, cuius assertio vera est) dicitur, cum consentitur in pactum iis rationibus, quarum eventus incertus vel fortuitus. Et vel *publicus* est, v. g. inter Duces, cum loca periculosa adeunda sunt, semper autem praesupponit pactum et compromissum, quandoqui-

doquidem ad evitandas lites institutus est, vel *privatus* audit, cum dividuntur agri, hereditates; Atque hęc ratione materiae pertinent *chartae lusoriae*, quas tamen moderari potest Magistratus, ut in Gallia factum a REGE CHRISTIANISSIMO. Et *lotaria*, cum plures rem communi pecunia emptam, forti permittunt, quis solus sit Dominus futurus. Et *olla fortunae*, quando deiecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero inscrip- tarum et inanium pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens id accipiat, quod illarum inscriptio prae se fert. Qui ludus in se non est illicitus, et a B. DN. D. DANNHAVERO *in erudita: dissertatione de SORTILEGIIS* approbatus. Conf. DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 5. cap. 9. §. 5. et 6.*

## CCCXXX.

*Fide iussio* est, cum ille, qui creditori idoneus iudicatur, alterius debitum solvendum suscipit, ita tamen ut recipiat id a debitore, et dicitur pactum accessorium, quia facit ad confirmationem quasi eius. Pignus est vel hypotheca res certa pro debito creditori assignata, ut debitor certo solvat, vel ex pignore solvatur creditor. Et hoc pignus est vel *fructuosum*, ut agri, aedes, vel *sterile*, ut vestes, gemmae. Atque his paratur dominium et obligatio, solvitur autem et tollitur pacti expletione, debiti remissione, mutuo dissensu, perfidia alterius, mutatione status, temporis, morte. Huc pertinet quoque verborum interpretatio, quae in pactis occurrunt. Quam in rem conferri meretur GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 16. et PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 5. cap. 12.*



CCCXXXI.

Non solum autem homo homini officia debet in *vidis*, sed etiam in *morte*. Vbi *tria* potissimum occurrunt observanda, *primo* quidem, an dentur talia officia? *Secundo*, quibus mortuis debeantur? et *tertio*, qualia sint ista officia. Ad quaestionem *primam* responderetur affirmando, cum ex ratione humanitatis communis mortui sint tractandi honeste, licet etiam aequivoce tantum homines sint, nihilominus tamen sepultura honesta ipsis procurari debet.

CCCXXXII.

*Secundo*, an omnibus sepultura debeat, quaeritur? et responderetur cum distinctione: Si de hostibus a victore caesis sermo sit, omnino talibus sepultura debetur, quandoquidem post mortem hostes esse desinunt. Si vero de insigniter facinorosis quaeratur, v. g. de iis, qui ob gravissima commissa scelera capitali supplicio sunt affecti, et suspendio occisi, putat GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 19. §. 4.* tales in patibulo non relinquendos, sed secundum Hebraeorum legem sepeliendos esse. Verum aliud est, quod fit ex saevitia, et aliud quod fit paradigmaticè, et ad exemplum aliorum, quo sensu posteriori non impedit, quo minus eiusmodi enormes peccatores in patibulo relinqui possint. Quod vero ad illos attinet, qui se ipsos interficiunt, dubitari sane potest, num tales sepeliendi sint. Nos putamus cum B. nostro *Præceptore atque Hospite* D. ZENTGRATIO distinguendum hic esse inter id, quod fit poenaliter, et inter id, quod permissum est poenaliter. Ius Naturæ quidem illis, qui se ipsos interficiunt, sepulturam non promittit, sed eam tamen permittit.

CCCXXXIII

## CCCXXXIII.

Quaeritur denique qualia sint ista officia, quae mortuis debemus, num tales sint sepeliendi, num cremandi, num in aquas proiiciendi? et responderetur, sepeliendos esse mortuos, cum id communi humanitati convenientissimum esse videatur, et ab ipsa quoque Scriptura Sacra approbetur, quae docet, quia sumus e terra, et in eam corpora nostra redigi debere. Quod ipsum quoque socialitas exigit, quae omnino curam praecipit mortuorum, sine qua alias facile detrimentum capere posset Respublica.

## CAPVT QVARTVM DE PRINCIPIIS IVRIS NATVRAE

## CCCXXXIV.

Restant adhuc in parte generali explicanda Iuris Naturae *principia*, de quibus quaeritur *primo*, an sint? *Secundo*, quid sint? et *tertio*, quae sint. Ad primam quaestionem, an sint talia principia? responderetur distinguendo, *primo*, inter principium et causam. *Secundo*, inter principium essendi et cognoscendi. *Tertio*, inter principium intrinsecum et extrinsecum. *Quarto*, inter interna vel subiective vel constitutive talia. *Quinto*, inter principia et medium. *Sexto* denique, inter principium complexum et incomplexum.

## CCCXXXV.

*Primo Principium* est, unde aliquid primo fit vel cognoscitur, *causa* autem dicitur, quae dat esse rei. Distinguuntur igitur ut latius et strictius. Omnis enim causa

est principium, sed non omne principium est causa, sicut omnis homo animal est, non contra. Principium autem *late* sumitur quandoque, et complectitur etiam causam, aliquando *stricte*, prout causae contradistinguitur; Sicut aurora principium diei est, non causa, et hora prima principium est secundae, minime vero causa. Quaeritur autem hic loci de principio late sic dicto.

## CCCXXXVI.

*Secundo principium effendi est, quod confert ad esse alicuius rei, sive ad eius fieri, uti Dominus extruendae domus ad fieri eius confert, ad esse vero domus materia ligna et lapides. Cognoscendi principium est, quod in notitiam rei ducit, et saepe, res sua est posterius, uti signum rû ignis fumus posterior est, ex eo tamen ignis cognoscitur. De utroque quaeritur.*

## CCCXXXVII.

*Tertia distinctio respicit subiectum et principium intrinsecum, illud dicitur, quod intra hominem cognoscentem vel operantem est, sicut lumen naturae principium cognoscendi audit, et natura ipsa principium effendi. Extrinsicum, vero principium extra hominem est, quomodo creatura principium effendi vocatur. Conf. B. DN. D. BEBELIVS de Pr. off. ch. N. et R. pag. 25. Quaeritur rursus de utroque.*

## CCCXXXVIII.

*Quarto interna subiective talia sunt in ipso subiecto, ut facultates animae, intellectus lumen rectum, voluntatis liberum arbitrium seu libertas in moralibus civilibus, in corpore organa corporis seu sensuum, ut oculi, aures, etc. Quae sicut sunt principia virtutis, ita et lurs Naturae, quia virtutes ex iure Naturae proveniunt. Constitutive talia sunt ipsa formalis ratio Iuris Naturae, quae*

quae eius *essentiam* ingreditur, ut rerum natura vel subiectiva vel obiectiva, uti supra Ius Naturae definitum est. Vtraque acceptio huius loci est.

CCCXXXIX

*Quinto* principium est magis *intrinsecum*, quia ab illo est rei essentia, vel si extrinsecum audit, tamen ad naturam rei internam tendit. *Medium extrinsecum* est ratione termini, atque liberum est, principium autem necessarium, a quo scilicet rei natura pendet. Quaeritur autem hoc loco de principio quidem, cum medii rationem habeat obiectum, scilicet actio humana, qua finis obtinetur. Denique *sexto* principium *complexum* est integra propositio, incomplexum aliqua ratio alia ad esse rei pertinens, quaeritur potissimum de *incomplexo*.

CCCXXXX.

Respondetur nunc ad quaestionem ita. Dantur Iuris Naturae principia late sic dicta essendi et cognoscendi, interna et externa quoque modo considerata, tam complexa, quam incomplexa, etiam quatenus a mediis distinguuntur. Quia *primo* datur Iuris Naturae materia, *secundo* datur Iuris Naturae causa efficiens; Et denique *tertio* datur effectus.

CCCXXXI.

*Primo* datur Iuris Naturae materia, scilicet actiones humanae, ex sua natura aptae ad recipiendum ius. Datur quoque materia, quia obiectum eius datur, videlicet Deus, et homo proximus, ex quibus respectibus vel obiectis, si cum subiecto homine coniungantur, necessario consequitur, tale aliquid poni, unde existat ius, et proinde obligatio. Ergo et iuris principia.

CCCXLII.

CCCXLII.

*Secundo* datur causa efficiens scilicet Deuseiusque Iustitia et sanctitas, itemque finis rei, qui tamen ad formam pertinet, nisi in quantum externum quid inter causam efficientem locum habet. Sic causa efficiens est ea rerum natura, quae bonitatem vel malitiam moralem in se complectitur, ut laudare Deum, caste vivere, turari, adulterium committere, ex quorum actuum obiectorum natura ius oritur, obligans realiter ad faciendum vel omittendum. Atque hae rationes probant principia essendi et cognoscendi simul, illa tamen praecipue.

CCCXLIII.

*Tertia* ratio imprimis probat principium cognoscendi, quia licet sit posterius iure, tamen per regressum demonstrativum ex effectu recte demonstratur causa, sicut dictum signum (fumus) ut principium cognoscendi potest esse suo signato posterius, Talis autem effectus Iuris Naturae est differentia boni et mali quoad nos. Sic quia actio conveniens est obiecto et reliquis circumstantiis, hinc ius ortum, ut actio dicta sit iusta vel bona, ex quo iure colligitur deinde oppositum, actio mala, et discrimen honestorum et turpium.

CCCXLIII.

Quaeritur *secundo*, quid sint talia principia? et respondetur, quod sint verae res, ex quibus Ius Naturae originem suam habet. Dicuntur *primo* res verae, unde non consistunt in nuda opinione, contra scepticos, aut diversis moribus, de quibus paulo post, sed ipsam rerum essentiam atque naturam, sistunt. *Secundo*. mentio fit

fit Iuris Naturae, de quo in prooemio dictum est, illud qualitatem esse moralem, ex rerum natura ortam. Et hoc Ius Naturae denique originem habere dicitur ex principiis. Principium enim recte id vocatur, quod alteri originem dat. Sic naturae rerum recte dicuntur principia, quia Iuris Naturae origo ex illis rebus est.

CCCXLV.

Tertio denique quaeritur; Quenam sint illa principia, et responderetur primo κατ' ἀρχήν, et secundo κατὰ ἑξῆς. Vbi simul quatuor examinanda erunt, primo, authores, secundo thesis erronea, tertio antithesis vera, et quarto rationes. Non igitur primo est Opinio, quemadmodum statuerunt Academici et Sceptici, de quibus videatur B. DN. D. ZENTGRAVIVS in lib. de Orig. Ver. et immut. rect. Iur. Nat. pag. 231. Quo nomine accusat eos CICERO lib. 1. de LL. pag. m. 410. in specie CARNEADEM, ARISTIPPVM etiam B. DN. D. DANNHAEVERVS in Hodom. Calvin. Tom. 1. Phant. 4. pag. 910. et B. DN. D. BEBELIVS in lib. saepius citato pag. 144. Sicut quoque Empiricus insignis flagitiosae huius sententiae Patronus est, uti ex DN. PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 8. videre est.

CCCXLVI.

Thesis igitur iuxta hos Autores haec est. Discrimen honestorum et turpium et Ius Naturae opinione constitutum est, ut circa honesta atque turpia nihil sit certi. Sed haec sententia merito refutatur, cum discrimen honestorum et turpium non sola nitatur opinione, rationes haec sunt, quia primo actiones humanae a Iure Naturae

Naturae diriguntur ad conformitatem Dei Divinorumque  
attributorum; unde cum haec non consent sola opinio-  
ne, neque illorum principium erit sola opinio. *Secundo*,  
quia natura rationalis quoad essentiam una est: Ergo  
eius quoque *Ius*, opiniones autem sunt diversissimae,  
unde eius principium esse nequeunt propter diversita-  
tem effectus et causae. *Tertio* demique, quia natura homi-  
nis non in aliqua opinione consistit, sicut nec arborum,  
quod elegans argumentum est CICERONIS *lib. 1. de Le-*  
*gibus pag. m. 431.*

CCCXLVII

*Secundo non est Socialitas*, sicut DN. PVFEND. pu-  
tat partim in *praefatione de Iure N. et G.* partim *lib. 2. cap.*  
*3. §. 13.* et alibi passim, cuius proinde thesis haec est. Prin-  
cipium essendi unicum et solitarium adaequatum ac suf-  
ficiens est socialitas. Additum autem est *essendi*, quia  
cognoscendi et eruendi principium esse potest, quamvis  
non solum sit, multo minus adaequatum. *Conf. B. DN.*  
*D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 170.* Merito igitur so-  
cialitas non pro principio Iuris Naturae essendi solitario  
et adaequato habetur, quia *primo Ius Naturae esset*, o-  
mni respectu socialitatis secluso, in *Statu naturali*, qualis  
per fictionem repraesentatur, a DN. PVFEND. *de off.*  
*Et. et. Civ. pag. m. 109. §. 6. Secundo*, quia *Ius Naturae erat*  
etiam in *Adamo ante creatam Evam*, in *Adamo au-*  
*tem solo* nullum erat *Ius socialitatis* ex defectu correla-  
ti subiecti. *Tertio*, quia omnia officia exinde demon-  
strari non possunt. *Conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS*  
*lib. cit. pag. 170. et 172. et B. DN. D. BEBELIVS lib. cit.*  
*pag. 139.* *Quarto* demique, quia eo, quod iustum et hone-  
stum, per modum existendi posterior est.

CCCXLVII

*Tertio non est Impositio, sicut DN. PVFEND. docet de Iure. N. et G. lib. 1. cap. 1. §. 4. et §. 23. cuius thesis haec est: Impositio ex arbitrio entium Intelligentium et eorum determinatione, uti moralium entium modus producendi originarius est, ita et Iuris Naturae. Colligitur, haec thesis ex citata thesi. 4. ibique de moralibus quidē conceptatantum est, sed ab obiecto et principiato ad eiusdem effectum valet consequentia, quia causa causae est causa causati. Rectius vero statuitur ita, quod impositio, arbitrium et determinatio entium intelligentium non sit causa Iuris Naturae vere talis, quatenus differt a lege, de qua differentia supra actum est. Id quod sequentem in modum probari potest: *Primo*, quia etiam si daretur (quod tamen sine summo scelere dari nequit) non esse Deum, dabitur tamen Ius Naturae, ut supra probatum est. *Secundo*, quia Ius qua tale, ut qualitas orta ex rerum natura, praescindit ab impositione, quia ergo praecisa omni impositione dantur moralia, hinc quoque ex impositione ius exortum non est. *Conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 255.* *Tertio*, quia impositio moralia tantum positiva producit, unde principium est insufficiens et inadaequatum ad omnia moralia, *Conf. Idem pag. 257.* *Quarto* denique, quia per hanc sententiam infertur pestuens indifferentismus, quod demonstrat *Idem Vir doctissimus pag. 279.* contra HOBBSIVM, VASQVIVM et RHAETORFORT. quorum nomine etiam improbatum ipsa sententia DN. PVFENDORFIL.*

*Quarto non est Lex Civilis, uti HOBBSIVS statuit de Civ. cap. 6. §. 16. et cap. 12. §. 1. quam DN. PVFENDORFIL.*



DORF. *de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 12. §. 1.* sic definit, quod sit decretum summi Imperantis Civilis, per quod civibus iniungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere debeant; iuxta quam definitionem thesis HOBBSII haec est: Decretum Summi imperantis civilis facit Ius Naturae, et ut furtum sit malum et adulterium turpe. Verum enimvero Ius Naturae et illa, quae Iuris Naturae sunt minime suam habent originem a Lege Civili, et quidem ob sequentes rationes. *Primo*, quia Ius Naturae est ante summum Imperantem civilem. Ergo imperans non est causa efficiens. *Secundo*, quia lex civilis angustior est ipsis moralibus. Ergo non potest esse causa, proinde requiritur aliud ius, ex illis moralibus ortum, quod argumentum eleganter pertractat CICERO *de LL. lib. 1. pag. m. 415.* *Tertio*, quia natura non habet originem a Lege civili, Ergo neque id, quod congruum est humanae naturae. Ergo nec Ius Naturae, quod ex illa congruentia ortum est. Conferri meretur B DN. D. ZENTGRAVIVS. *lib. cit. pag. 234.*

CCCL.

*Quinto* non est Lex naturae, sicut DN. PVFENDORF. opinatur *de Iure N. et G. lib. 1. cap. 6. §. 1. et §. 4.* itemque PHILIPPVS a SS. TRINITATE in THOM. *s. 2. Disp. 18 d. 3. concl. pag. m. 352.* quorum thesis haec est. Lex naturalis, uti est norma moralium, ita et principium non tantum cognoscendi, sed etiam essendi. Verum negatur, quod Lex naturalis sit norma et principium essendi moralium et Iuris Naturae, quia *primo* dantur moralia antecedenter ad legem, Ergo dabitur et ius. *Secundo*, quia moralia in Deo et homine una sunt, si rationem virtutis spectes, in Deo autem non a lege dependent, nisi improprie lex accipiatur, prout non requirit

Iupe-

superiorem praecipientem, quod argumentum ducit CICERO *lib. 1. de LL. pag. m. 427. Tertio*, quia tales actus Iuris naturae necessario a Deo praecepti vel prohibiti. *Quarto* denique, quia humanae naturae conditio (ante legem) requirebat talem legem. Vnde obiectum prius ipsa lege fuit.

CCCLI.

*Sexto* denique non est *Voluntas Divina* contra DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 1. cap. 2. §. 6. et lib. 2. cap. 3. §. 5.* Cuius thesis haec est; Quemadmodum natura humana a beneplacito Divino dependet, ita et Ius Naturae. Sed antithesis vera est hoc modo: Vti natura hominis non a voluntate et beneplacito Divino dependet, ita nec Ius Naturae. Id quod sequentibus potissimum probatur rationibus: *primo*, quia involvit contradictionem, Deum posse creare hominem irrationalem, id est, animal ratione praeditum irrationale. Ergo necessario antecedenter ad Voluntatem Intellectus divinus sanctitasque eius ineffabilis ita iudicat, homini convenientem hanc naturam esse (absit tamen a Deo omnis imperfectio, absit nostra cogitatio, ac si mensura potentiae sit.) *Secundo*, quia naturae rerum sunt immutabiles. *Tertio* denique, quia Ius Naturae. quoad principia generalia et Deo est commune, et hominibus, de qua re *vid. CICERO lib. 1. de LL. pag. m. 427.* quod etsi neget DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 5.* confundere tamen videtur principia generalia, ex essentia orta, et specialia, ex statu et conditione orta, dum ait, Deo plus quam homini licitum esse. Verum generalia fundamenta communia audiunt, licet aliter iudicandum sit de specialibus

Discuffis ita fententiis falſis, nunc etiam κατὰ θεόν dicendum eſt, quodnam Iuris Naturae principium ſit? *Primo* igitur Iuris Naturae principium recte dicitur ipſa natura humana rationalis et ſocialis, antecedenter etiam concepra ad voluntatem Divinam, quia alias id etiam concedit DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 2. cap. 1. §. 1.* Rationes autem, quibus haec theſis probatur, ſequentes ſunt, *primo*, quia haec ipſa natura in ſuis principiis ( abſtrahendo a corruptione ) eſt ratio recta, quae faciendae et omittendae dicitur. *Secundo*, quia humana natura mater quaſi eſt Iuris Naturae, notante GROTIUS *de Iure B. et P. in prolegom. pag. 4.* quod ſano ſenſu admitti poteſt. *Tertio* denique, quia natura humana formata eſt ad Divinae ſanctitatis et iuſtitiae imaginem, quae non ideo ſunt, quia Deus voluit ſe ſanctum eſſe, ſed immutabiliter ſe habent. *iuſtum enim et ſanctum cum ſint de ipſa immutabili Dei natura, ita quoque, quae in homine ad illam divinam rectitudinem expreſſa ſunt, per ſe, non opinione talia eſſe oportet.* uti erudite pro more ſuo diſſerit B. DN. D. ZENTGRAVIVS *de orig. Ver. et immut. rect. Iur. Nat. pag. 217.*

CCCLIII.

*Secundo* Principium Iuris Naturae ante legem eſt *ad hunc modum* ipſum quoque obiectum, uti recte GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 1. cap. 1. §. 10* arbitratur, quem DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 4* refutare conatur, quatenus nempe conſideratur non nude ſecundum ſe, ſed practice cum ratione proaeretica *conf.* B. DN. D. ZENTGRAVIVS *lib. cit. pag. 259. et 260.* Quod ipſum hunc in modum probari poteſt, Quia *primo* quoddam

dam obiectum ira comparatum est, ut circa illud necessario agens rationale aut bene aut male agat, citra definitionem alterius. *secundo*, quia quoddam obiectum per essentiam suam bonum est et physice, et ethice, ut Deus, quoddam Ethice ratum malum, ut Diabolus. *Tertio*, quia quaedam in sua essentia excludunt oppositum respectum necessario, ut ratio proprii alienum, licet existentia huius vel illius alieni libera sit. *Quarto* denique, quia alias oritur indifferentissimus *conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 279* contra quem se non satis munit *DN. PVFEND. de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 4.* addi meretur *GROTIUS de Iure B. et P. lib. 1. cap. 1. §. 10.* et *MOLIN. Tom. 3. Disp. pag. 36.*

## CCCLIII.

Quae obicit *DN. PVFEND. de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 4* refelli possunt hoc modo. Ut primo ad argumentum ab obscuro desumptum respondeatur distinguendo, inter principium essendi et cognoscendi, de illo potissimum quaestio est, quamvis et de hoc secundo. *Deinde* ab obscuritate rei ad rei negationem non valet consequentia. *Tertio* idem accidit, si legem naturae ante obiectum normam statuas. *Quarto*, quia et ipse *DN. PVFENDORF.* pro principio admittit convenientiam Iuris Naturae ex necessitate hypothetica. *Quinto* res patet ex ipsius Principio proprio, dum ait: Deum ab homine non posse aliter concipi, ac est, id est summe bonum et eminentem, ideoque non aliter coli. Ergo inferitur hinc ipsa obiectiva moralitas, quae consistit in essentia Divina ante determinationem Divinae voluntatis (si nostro concipiendi modo distinguas attributum et essentiam) *Secundo*, quod *PVFENDORF. loc. cit. GROTIUS* obiciat circulum, fallitur, *GROTIUS enim*

nim supponit sanctitatem Divinam et naturam rectam metaphysice, quare et sanctitas illa divina praecisa voluntate Dei Legislatoria absolute tales vel tales poscit actus, et reliquos excludit oppositos.

## CCCLV.

*Tertio* principium Iuris Naturae est quoque, sicut ipsorum moralium naturalium, *finis*. Quia *primo* finis est ratio, sub qua intenditur actio vel res, e qua intentione, sicut vere et intrinsece intentio dicitur bona vel mala, ita necessario ea bonitas inest iam ante ipsi fini, quia est causa huius denominationis, hinc ex modo praedicandi essendi modus recte colligitur. *Secundo*, quia dantur fines, quibus ante impositionem inest bonitas vel malitia. Ergo et obligatio. Vnde et ius propter istum valorem bonitatis et malitiae. *Conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 267. Tertio*, quia finis format, vel iuxta illum formatur electio, a qua moralis dicitur actio, tanquam a fundamento. *Quarto* denique, quia finis ipsum respicit obiectum et subiectum, a quo cum discreper ex sua natura, naturaliter est principium moralitatis et per consequens Iuris Naturae. *vid. Idem lib. cit. pag. 292.*

## CCCLVI.

*Quarto Circumstantiae morales et essentiales* quoque principium Iuris Naturae audiunt. Quia *primo* quaedam circumstantiae simpliciter necessariae sunt ad naturam actus moralis, ita ut ab illis actus moralis dependeat. *Conf. Idem lib. cit. pag. 251. Secundo*, quia constituunt novam speciem moralem: *Tertio*, quia morale est per positionem plurium etiam circumstantiarum, id quod confirmat DN. PVFEND. sed secundum suam hypothesein *de Iure Nat. et G. lib. I. cap. 7. §. 4.*

## CCCLVII.

## CCCLVII.

*Quinto* denique de consensu gentium quaeritur, an hic sit principium iuris Naturae? et respondetur distinguendo, *primo*, inter principium essendi et cognoscendi. *secundo*, inter consensum gentium omnium et moratorum. *Tertio*, inter consensum et effectum eius atque factum. *Quarto*, inter consensum liberum et debitum. *Quinto* denique, inter principium cognoscendi actu tale et potentia.

## CCCLVIII.

*Primo*, Principium essendi dat esse, principium vero cognoscendi in rei cognitionem ducit. Quaeritur autem de hoc. *Secundam* distinctionem confundit. DN. PVFEND. de iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 7. et HOBBS. de Civ. cap. 2. §. 1. Sed hic de moratoribus quaeritur. Conferri meretur B. DN. D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 201. *Tertio* ab effectu ad consensum seu a facto ad ius non valet consequentia, hic loci vero de consensu quaeritur, non effectu. *Quarto* liberum hic dicitur, quod absque obligatione est, et indifferens quoad hominis arbitrium: debitum vero vocatur, quod ex obligatione oritur, et eam involvit, ac hoc respectu quaeritur de consensu. *Quinto* denique principium actuale cognoscendi est, quo actu semper cognoscuntur ab omnibus ea, quae iuris Naturae sunt, etcognoscuntur etiam actu, si bene dispositum sit subiectum. Quaeritur autem de potenciali, quod confundit DN. PVFEND. de iure N. et G. loc. cit. dum a negatione actus secundi ad negationem actus primi, seu a negatione actus ad negationem potentiae male colligit.

## CCCLIX.

Respondetur nunc ad quaestionem affirmando, Consensus gentium moderatiorum quarundam est principium, ex quo Ius Naturae cognosci potest, contra DN. PVFENDORF. *de Iure N. et G. lib. 2. cap. 3. §. 7. et 8.* SELDEN. *de Iure N. et G. lib. 1. cap. 6.* et HOBBS. *de Civ. cap. 2. §. 1.* Contra quos videatur B. BOECLERVS *Comment. in GROTIVM pag. 101.* et B. ZENTGRAVIVS *lib. cit. pag. 200.* Quia primo et intellectus rectitudine iuxta DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 1. cap. 3. §. 3.* quilibet potest cognoscere, an ipse recte vivat. Ergo et plures id possunt, ex quorum consensu ego colligo, id esse Iuris Naturae, quod illi communi consensu recte introduxerunt. *Secundo* vero, quia consensus gentium moderatiorum signum est iudicii recti, rectum autem iudicium ipsa ratio recta est. De aliis mediis cognoscendi vid. B. DN. D. ZENTGRAVIVS *lib. cit. pag. 199.* et GVIL. GROTIUS *de Princ. Iur. Nat. pag. 7.* de impedimentis cognitionis.

## CCCLX.

Principia Iuris Naturalis merito excipiunt *Attributa* sive *Proprietates* Iuris Naturalis, quae alias etiam affectiones dicuntur, ac sequentes numerantur, Universalitas, Immutabilitas et certitudo. Quod ad *primum* attinet attributum, nimirum *Universalitatem*, de ea conferri meretur GVIL. GROTIUS *de Princ. Iur. Nat. pag. 7.* Gaudet autem Ius Naturae universalitate hac, *primo* ratione subiecti, *secundo* ratione obiecti, *tertio* ratione principii, et *quarto* denique ratione finis, id quod de singulis solide hactenus demonstratum est.

## CCCLXI.

*Secundo* Ius Naturae sibi de *Immutabilitate* gratulatur, immutabile autem illud est in se, non vero ratione obis-

obiecti, quod quandoque mutatur *conf.* B. DN. D. ZENT-  
GRAVIVS *lib. cit. pag. 335.* ubi ex professo hac de re agit,  
*et pag. 353.* ubi hanc ipsam quaestionem, an Ius Naturae  
mutari possit? pertractat. Huic addi meretur GVIL.  
GROTIUS *de Princ. Iur. Nat. cap. 3. §. 8. pag. 41,* cuius e-  
ruditus est discursus, itemque B. DN. D. BEBELIVS *de*  
*Princ. off. H. Cbr. N. et Rev. pag. 144.* FORMVLA CON-  
CORD. *pag. 238.* et GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 1. cap. 1.*  
aliique, qui thesin hanc firmis rationibus propugnant.  
CCCLXII.

*Tertia* denique Iuris Naturalis affectio *Certitudo*  
audit, quam GOLIVS *in Etb. sua lib. 4. cap. 3.* negat, sed  
verior est sententia HORNEII *in Doct. Civ. lib. 2. cap. 2.*  
*§. XI. XII. itemque* DN. PVENDORFII *de Iure N. et G.*  
*lib. 1. cap. 2. §. 1. 2.* Consistit autem haec certitudo in  
eo, ut non quidem simplex terminus, qui subiectum  
demonstrationis est, necessarius debeat esse ratione exi-  
stentiae, sed quia connexio praedicati et subiecti in mora-  
libus propemodum aequae immutabiliter existit, ac in  
Mathematicis, quod erudite ostendit DN. PVFEND.  
*loc. cit.* Patet insuper haec certitudo ex principiis et ef-  
fectu morali, videlicet imputatione.

CCCLXIII.

Coronidis loca de iis adhuc in parte Generali  
agendum paucis erit, quae Iuris Naturae sunt respectu  
ordinis, qui inter homines intercedit. Quaeritur ita-  
que *primo*, an sit talis ordo? *secundo* qualis sit ordo? et  
*tertio*, an sit Iuris Naturae praeceptivi? Quod ad *primam*  
attinet quaestionem, an sit ordo? merito affirmando re-  
spondetur, id quod tribus potissimum probatur rationi-  
bus. Et *primo* quidem, quia Ius Naturae praecipit, ut  
omnia ordinate atque decenter fiant; at *ἀναρχία* omnem  
Cc 2 tollit



tollit societatem, qua certe sublata, nonnisi cyclopica esse potest vita. *Secundo*, quia Ius Naturae intendit societatem perfectissimam, ad quam, cum ordo faciat, colligitur sane, ordinem praecipere ea, quae ad societatis perfectionem faciunt. *Tertio* denique, velex eo ordo necessarius esse videtur, quia sine eo nulla pax et concordia in vita sociali speranda foret. Imo ordo adeo congruus est societati humanae, ut homines, etsi non lapsi fuissent, tamen habituri fuissent ordinem aliquem, qualis ordo inter ipsos etiam intercedit Angelos, uti ex Sacra constat Pagina

CCCLXIV.

Quaeritur *secundo*, qualis sit ordo? et respondetur nullum alium esse, quam hunc, ut alii sint imperantes, et alii parentes, in quibus partibus natura ordinis consistere videtur. Omnis enim ordo tendit ad aliquod primum, et ipsa socialis vita ad idem tendit, quod Imperium est, unde quoque ordo in Imperio datur.

CCCLXV.

*Tertio* autem de hoc ordine quaeritur, an sit Iuris Naturae praeceptivi, sive an imperium sit a Iure Naturali praeceptum? et rursus respondetur affirmando, cum securitas et firmitas consociationis aliter salva esse non possit, nisi sit vis aliqua cogens et potestas coercens, quae Iuris custos sit. Quamvis autem imperium hoc Iuris Naturae praeceptivi esse dicatur, aliter tamen iudicandum est de modo imperii.

CCCLXVI.

Imperium autem nihil aliud, quam talem notat facultatem, quae cum efficaci obligatione iubendi, imperandi et cogendi est coniuncta. Vnde haec potestas a nemine circumscripta est, sed immediate a Deo provenit,

nit, ac ex eius vitae et necis fluit, quia, qui alterum cogere potest, is quoque refractarios potest punire, unde Iuris dictio oritur, in qua facultas puniendi continetur. Ut proinde merito Illustris DN. PVFENDORFIVS de Iure N. et G. lib. 8. cap. 3. §. 7. GROTIUM virgula censoria notaverit, asserentem lib. 2. cap. 20. §. 3. non dicere naturam, quis punire debeat.

CCCLXVII.

Per poenam autem hic nihil aliud intelligitur, quam malum passionis ob malum actionis, cuiusmodi poenae aequitas maxima est, cum iustum sit, ut is, qui malum fecit, malum quoque patiatur. Sed quaeri solet, an nocens ab aequae nocente puniri possit? negando respondet GROTIUS, sed distinguendo rectius respondetur, videlicet inter iudicium publicum et privatum, quoad posterius vera est GROTII opinio, quoad prius autem falsa audit, quandoquidem in iudicio publico aequae nocens iudicat, non quatenus talis est, sed quatenus est iudex.

CCCLXVIII.

*Obiectum* poenarum vulgo duplex constituitur, personale et reale, illud homines respicit delinquentes, hoc vero ad actus vitiosos spectat, et quidem non internos, in quos poena cadere nequit, dum non cognosci possunt, sed externos, qui cum honestate pugnant, et societati humanae adversantur. *Finis* vero poenarum iuxta GROTIUM de Iure B. et P. lib. 2. cap. 20. §. 7. triplici potissimum se habet modo, *primum medicinalis* dicitur, quo delinquentis vel peccantis animus emendatur. *Secundus hsecurativus* vocatur, quo laeso cavetur, ne in posterum simile quid patiatur, *tertius securitatem omnium* respicit, cum per eiusmodi poenas peccatoribus il-

latas, omnes a peccatis deterreantur, consequenter tranquillitas publica conservetur, ac salva stet.

## CCCLXIX.

Ceterum ex eo, quod imperium imperantium in parentes efficax esse dicitur, oritur obligatio. Igitur *primo* obligantur parentes ad *obsequium*, quod vero sese non ad iniusta et inhonesta extendit, uti bene notat Celeberrimus GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 1. cap. 3. § 9.* Obligantur *secundo* ad *fidelitatem*, quam omnino superiori debent, ut quaevis noxia ab Eo avertere studeant. Obligantur denique etiam ad *reverentiam*, ut eam Imperanti exhibeant, cuius intuitu minime parentibus licitum est insurgere contra imperantem, nisi sic Respublica mixta, in qua partem imperii obtinent subditi, quibus proinde concessum etiam est, partem illam tuendi. Alias omnino hanc Iurisdictionem Ius naturae parentibus denegat, eamque unice Imperantibus tribuit, ut exercent potestatem in inferiores, quibus nihil praeter obsequii gloriam relictum est.

## PARS SPECIALIS IVRIS NATURALIS

## CCCLXX.

Pars Iuris Naturae specialis vindicat sibi considerationem officiorum specialium in certis societatibus, petiturque eius fundamentum partim ex obiecto, partim etiam ex fine, socialitatis conservatione et felicitate. Solet autem in genere Societas vocari duorum pluriumve cohabitatio ordinata, boni alicuius gratia instituta. Igitur in Societate ius locum habere debet, quod animam quasi inspirat, coetumque inanimem actuat.

## CCCLXXI.

## CCCLXXI.

Subiectum seu *materia* Societatis homo est, qui proinde etiam ab Aristotele animal natura πολιτικὸν seu sociale appellatur, quod ad socialem vitam colendam aptum natum est. Eius vero *causa efficiens* Deus audit et natura, quae ordinante sapientissimo Numine hominem ad societatem honeste colendam aptum fecit et proclivem, ac prae ceteris animantibus non ratione tantum, sed etiam oratione ac sermone ornavit. Non igitur indigentia humana videtur causam exprimere primariam societatis ineundae, quandoquidem illa incitamentum tantum est, et nihilominus societas locum haberet, etiamsi nulla re indigeremus.

## CCCLXXII.

Apparet ex his, quod vita solitaria Deo pariter ac Naturae sit adversa, a quibus homo non ad vitam solitariam, sed socialem formatus est, veluti pars et membrum societatis, in qua honeste et pacifice vitam transigere debet. Ut proinde nullum sit dubium, quin haec propositio, de colenda cuique, quantum in se est, vita sociali, Deum ipsum autorem habeat, ac ab eius sanctissima ordinatione, voluntate et dispositione, in creaturas racionales dimanarit. Conferri meretur *Excellentissimi* DN. D. SCHERTZII, *Moralium Prof. Argentoratensis Meritissimi, erudita Dissertatio pro sociali vita contra solitariam conscripta*, Respondente Dn. Renzio.

## CCCLXXIII.

*Forma* Societatis in unione et ordine personarum inter se consistit. Sicut enim per dissolutionem ordinis societas quoque dissolvitur, ita per unionem Societas conservatur. *Finis* denique societatis communis et honestus est ad discernendam societatem veram ab omnibus aliis,

aliis, v. g. furum, latronum, aliorumque pravorum hominum, in unam saepe societatem tendentium, sed quae ab honestate communique felicitate longissime aliena est.

## CCCLXXIII.

Solet autem communiter Societas dividi in *maio-rem* et *minorem*, illa alias et secunda appellatur atque composita, quae proxime ex aliis societatibus constat, uti Civitas: Haec vero prima dicitur, et simplex, quae ex aliis simplicioribus non constat, et personis paucis absolvitur, atque ad hanc referunt matrimonialem, Paternam atque herilem. Primo igitur de societate matrimoniali agendum erit.

## CCCLXXV.

Sed quaeritur hic, cui proprie conveniat, agere de societate conjugali seu matrimoniali, et respondetur, omnibus tribus Philosophiae moralis partibus convenire. Etenim Oeconomica agit de illa, tanquam principio Familiae; Politica autem ratione iuris, et quomodo ex illa oriatur Civitas; Ius Naturae denique quoad officia, quae sibi invicem debent maritus et uxor, quae in Oeconomicis denuo simul explicantur.

## CCCLXXVI.

Est autem haec societas matrimonialis nihil aliud quam legitima et indissolubilis unius maris et unius foeminae coniunctio, ad propagationem generis humani, et vitam bene transigendam instituta, Singula in definitione hac allata ita probo: *Definitum primo* ipsa societas matrimonialis sistit, quae reliquas ordine praecedat, quia omnis consociationis humanae initium est, unde etiam seminarium civitatis appellari solet. Quomodo ARISTOTELES quoque atque CICERO philosophati sunt, qui hanc reliquarum principium vocarunt. Neque  
alium

alium ordinem historia creationis ostendit, sed primam societatem facit conjugalem ipsius Adami atque Evae. Originem vero societatis huius communiter fere, et recte quidem, a natura repetunt.

## CCCLXXVII.

Dicitur *secundo legitima*, adeoque Iuri Naturae consentanea, ratione finis, obiecti, et mediorum. Unde prohibetur matrimonium inter Parentes et liberos, de quo GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 12.* quia impediunt officia diversorum statuum, Parentum et liberorum, et familiaritas ista, quae intercedit inter coniuges, non potest esse coniuncta, cum reverentia, quam liberi Parentibus debent. Conferri etiam meretur GVIL. GROTIUS *de Princ. Iur. Nat. pag. 189.* ubi alii quoque prohibentur gradus. Non minus etiam prohibetur et excluditur aetas inhabilis. Legitimum enim est, quod legibus conveniens, unde excluduntur ea, quae per vim fiunt.

## CCCLXXVIII.

*Tertio indissolubilis* vocatur, videlicet extra casum adulterii et malitiosae desertionis, *vid. DN. PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 6. cap. 1. §. 20 et 21.* Si enim novam uxorem maritus ducit, uxore superstite, et uxor novo nubit marito, marito superstite, adulterium committitur, quod contra Ius Naturae est, et fidem frangit. E quo satis patet, divortium quoque esse prohibitum extra hos casus. In divortio autem persona, quae de, relinquitur, patitur divulsionem, et, ne iure suo fraudetur, persona patiens v. g. uxor, nubere potest alii. Igitur hic prudente opus est electione, quo in matrimonio amica cohabitatio locum habere possit.

D d

CCCLXXIX.

*Quarto* dicitur *unius maris*, unde foemina obligatur ad castitatem, nec permittitur omnis libido, *vid. DN. PVFENDORF. de Iure N. et G. lib. 6. cap. 1. §. 15.* Et *unius foeminae coniunctio*, unde a Iure Naturae prohibita est polygamia, quia vir et mulier sunt una caro, nunc autem non plures, quam duae personae una caro esse debent, *conf. B. DN. D. ZENTGRAVIVS lib. cit. pag. 175.* Tum etiam, quia naturae contractus et fini socialitatis atque matrimonii repugnat, *vid. DN. PVFENDORF. de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 2. §. 5.* Id quod contra *GROTIUM de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 9.* notandum est, ubi de Lege Evangelii Socinianum agit. Hinc prohibetur cohabitatio cum alia, tam soluta, quam maritata, quia adulterium est. Non vero excluduntur uxores secundariae, quarum fides matrimonii eadem est, non vero idem ius in Familia, de quibus elegantur *DN. PVFEND. de Iure N. et G. lib. 6. cap. 1. §. 36.*

## CCCLXXX.

*Quinto* dicitur *propagationem generis humani*. Excluduntur ergo infantes, spadones, inhabiles, venus monstrosa, mascula nefanda Perfarum, aliorumque scelerata. *Sexto* denique matrimonium institutum dicitur ad *vitam bene transigendam*, hinc maritus caput est uxoris, non tamen Dominus simpliciter, ut in eam ius vitae et necis habeat. Datum enim est marito in uxorem imperium civile, non autem herile et tyrannicum, unde cum amore et moderatione debet esse coniunctum. Atque tali in uxorem imperio non obesse potest Parentum authoritas, siquidem maritus sua utitur authoritate, et si aliquid imperat contra voluntatem Parentum, uxor ad obedientiam obligata est, quia e familia sua transit in familiam mariti.

## CCCLXXXI.

## CCCLXXXI.

Societatem Coniugalem excipit nunc Societas Paterna, restant quidem adhuc multa de priori dicenda, sed relinquimus ea Politicis, qui ex professo materiam hanc sibi tractandam, sumserunt, in primis egregia sunt, quae a *Clar. BOXHORNIO in Institutionibus Politicis, et Magnifico D. HERTIO, Professore Giesensi Celeberrimo, in Elementis Prudentiae Civilis* afferuntur.

## CCCLXXXII.

Est autem societas Paterna confociatio inaequalis Parentum et Liberorum, in hos igitur potestatem habent Parentes, quae ratione originis tam Divina, quam naturalis est. Cum enim Ius Naturae praecipiat finem seu educationem probam, necesse quoque est, praecipiat media seu potestatem hanc Patriam et exercitium ipsum. *Conf. GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 1.* Male proinde HOBBSIUS potestatem hanc Patriam in liberos ex eo deducit, quia parentes habuerunt potestatem interficiendi liberos, sed quia pepercerunt vitae, oriri exinde potestatem Parentibus in corpus, sicut in bello. Subtilius philosophatur PVFENDORF. putans, ad potestatem patriam requiri tacitum prolis consensum; Sed nec hoc cum veritate conspirat. Vbi enim actiones non sunt liberae, ibi nec consensus locum habet. At vero in potestate Patria libera voluntas filio non relinquitur, an educari, an parere velit, sed ad utrumque tenetur, et obligatus est.

## CCCLXXXIII.

Igitur haec potestas Parentum in liberos ratione subiecti universalis est, *primo quod actiones liberorum, unde etiam consensus in contractibus requiritur, de quo fuisse agunt Politici. Conferri meretur GVIL. GROTIUS*



*de Princip. Iur. Nat. pag. 155.* HVGOGROTIVS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 10.* et DN, PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 6. cap. 2. §. 14.* Secundo quoad res; *vid DN. PVFEND. loc. cit. §. 7. et 8.* et GVIL. GROTIVS *loc. cit. pag. 155.* Tertio denique quoad personam, sed quousque haec potestas se-  
se extendat, erudite ostendit DN. PVFENDORF. *loc. cit. §. 9. et de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 3. §. 4.* itemque  
GROTIVS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 5.*

CCCLXXXIII.

Subiectum potestatis huius est Pater et Mater, quia respectu filii rationem causae totalis habent, ita tamen, ut ceteris paribus, Patris praeceptum prius audiendum fit, quam matris, Errat perinde HOBBSIVS *cap. 9. de Civ.* quando dominium ad matrem primario, secundario vero et derivative ad Patrem pertinere ait, sed falsa nititur hypothesi, dum statum hominis naturalem bellum esse putat, hinc concludit, quia liberos parit mater, et primo quoque potestatem ea habebit, illos vel relinquere vivos, vel necare. Verum, cum mater causa solitaria non sit, sed socia, ipsam quoque potestatem hanc dividendam non esse, sed veluti in una considerandam persona, ultro patet.

CCCLXXXV.

Quod ad *Iura* attinet *Patria*, recte illa a Philosophis secundum certa tempora distinguunt solent. Igitur aliud est tempus infantiae et imperfecti iudicii, aliud extra infantiam et perfecti iudicii, sed tamen in familia, aliud denique extra infantiam et extra familiam. De singulis hisce diversisque temporibus, diversum quoque for-  
mandum est iudicium. Nam iuxta primum tempus, omnino in liberorum aetiones pariter ac voluntatem potestatem habent Parentes, quandoquidem qui se ipsos  
regere,

regere non possunt, ab aliis, ut regantur, necesse est. Non minus iuxta *secundum* tempus liberi adhuc sub potestate Parentum sunt, licet non quoad omnes omnino actiones, quomodo e. g. filium Parentes cogere nequeunt ad studium aliquod, ingenio quod suo maxime adversatur. Sed quoad *ultimum* tempus res secus se habet, quam quoad priores, uti vel ex ipsis terminis patescit.

## CCCLXXXVI.

Parentum *officia* communiter haec numerant, videlicet curam in generando adhibitam, sustentationem et informationem. Quod ad *primum* attinet officium, iubet illud, ut mater ad foetum fovendum omnem adhibeat curam, hinc prohibetur abortus, studio conciliatus. Pertinet huc quoque cura obstetricum in constituenda Republica, quarum certe negligentia vel incitia non exiguum afferre solet damnum.

## CCCLXXXVII.

*Secundum officium* exerit se in nutritione et alimentorum subministracione, *vid. GROTIVS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 7. §. 4* Cum enim sibi prospicere nequeant infantes igitur proximi Iure Naturae prospicere tenentur, qui sunt Parentes, et qui est causa, ut homo existat, is quoque quantum in se, et quantum necesse est, prospicere debet de iis, quae ad vitam socialem et naturalem sunt necessaria. Alimentorum autem nomine veniunt ea, quae ad victum et amictum necessario requiruntur *vid. ARNIS. in Polit. lib. 1. cap. 4.* Non minus etiam nutritio haec, liberis debita, ex eo probari potest, quod lac generetur in mammis matrum, sed natura nil facit frustra, hinc etiam recte ARISTOTE-

LES alimentorum subministrationem deduxit a natura, cui proprium est, non generare tantum, sed et victum necessarium praeberè generato. Hic enim instinctus naturalis est, nec Iuri Naturae repugnat, firmum proinde argumentum exinde extruì potest, quod Ius Naturae hoc velit, ut liberi nutriantur. Ex quo matres illae peccare videntur, quae nutrices liberis constituunt; nisi adversa valetudine aut morborum advenientium causa eo adigantur. Repugnat quoque huic officio expositio infanrum, ceu factum extremae inhumanitatis, *asogylas* et homicidii, cum sine ulla misericordia ita deserantur liberi, ut fortunae permittantur, alteriusque misericordiae, quod omnino sanae repugnat rationi, et cum omni iure pugnat. Nec obstat Parentum egestas, cum infanrem Magistratui alendum tradere possint, quam ut in sylvam eiciant, et a feris devoretur, vel alio modo suam finiat vitam.

## CCCLXXXVIII.

*Tertium* Parentum officium institutio liberorum est, quae incipit ab ipsa formatione linguae et sermonis, ac omnia ea continet, quae ad mores, artes, rectamque vitae sustentationem pertinent. Hinc etiam illa fundamentum Civitatis salutatur. Tales enim habituri sumus cives, quales fuerimus in iuventute. In primis autem commendari hic meretur Disciplina Romanorum, quae hinc inde partim a Philosophis, partim ab historicis descripta est. Egregia etiam sunt, quae PLVTARCHVS ab initio statim de liberorum educatione commemorat, itemque quae DN. PVFEND. habet *de off. Rom. et Civ. lib. 2. cap. 3. §. XI*

## CCCLXXXIX.

## CCCLXXXIX.

Sed et liberis quaedam sunt observanda officia erga Parentes, et in tribus potissimum consistunt, videlicet in *studio referendae gratiae* pro beneficiis acceptis. Deinde in *honore et reverentia*, et denique in *obsequio*. Occasione primi disputat SENECA, an liberi maiora Parentibus possint dare beneficia, quam ab ipsis acceperint? Quae controversia facile sic decidi potest; ut distinguatur inter dare maiorem rem, et dare maius beneficium; possunt quidem liberi aliquando ipsa vita maiorem melioremque rem praestare ac dare, verum non est beneficium, sed officium, quia Parentibus debent. Continetur autem hoc gratiae referendae studio etiam id, ut mutuam alimentorum et sustentationis vicem Parentibus exhibeant liberi, quod sane mutuus amor exposcit, quamvis cum GROTIUS recte dicatur, magis ordinarium esse, ut liberi alantur a Parentibus, quam Parentes a liberis.

## CCCLXL.

*Secundum* in Parentes officium, quo liberi obligantur, honore et reverentia constat, ita ut nec Pater excipiatur impius. Nam distinguendum est inter personam et vitium, exemplum habemus in Ionathane, sanguinolentum Patrem omni honoris cultu prosequente. Hinc etiam Iure Civili constitutum est, ne filius in ius vocare possit Parentem sine venia, quo ipso tamen limitata statuitur reverentia, cum Pater etiam filium iniuria afficere possit.

## CCCLXLI.

*Tertium* liberorum officium obsequium et obedientiam respicit, quam Parentibus debent non solum secundum Ius divinum, *Filii obedite Parentibus per omnia*,  
sed

sed etiam Naturae ius, quod superioribus parendum esse docet. Quomodo autem reverentiam Parentibus exhibeant liberi, egregie ostendit DN. PVFEND. *de off. Hom. et Civ. lib. 2. Cap. 3. §. 12.* nimirum: *non externis tantum signis, sed multo magis interna aestimatione, tanquam autoribus vitae ac tantorum aliorum beneficiorum, ut eis pro viribus serviants, in primis senio aut egestate confectis, sine consilio et auctoritate eorum nihil magni momenti suscipiant, et denique eorum morositatem aut vitia, si qua inveniuntur, patienter ferant.*

## CCCLXLII.

De iuribus liberorum dispiciendum adhuc paucis est. Constat autem ex Iure Divino, quod Parentibus defunctis ius debeatur liberis in bona eorum. Neque aliud Ius Naturae dicitur. Creduntur enim bona ad illos pertinere, ad quos devolvi sana ratio postulat: iam nullus dubitat, devolvenda illa esse ad liberos, quia sunt tanquam pars parentum, et hi ad sustentandam illorum vitam obligantur. Tum etiam non praesumi potest, quod Parentes alios voluerint haeredes, quam illos, quibus bene cupiant, quibus vero magis natura cupiunt, quam ipsis liberis.

## CCCLXLIII.

Sequitur nunc *Societas herilis*, quae intercedit inter capita familiarum, et illos, quorum opera in obeundis ministeriis utuntur. Vel breviter respicit Dominum et servum, bene vivendi gratia instituta. Dicitur autem *Dominus*, qui ius habet in alterum, cui praecipere potest, et iniungere familiares operas. *Servus* vero vocatur, qui Patri familias sua opera est adiumento. Atque circa hanc societatem Ius Naturae dicitur, quod sit bona et approbata, quia cedit in commodum generis humani.

## CCCLXLIII.

CCCLXLIII.

Servi autem variis fiunt modis, unde servitus vel *legalis* dicitur, quae pactis atque contractibus instituta est, quemadmodum servitus mercenaria apud Christianos frequens est. Referunt quoque ad hanc eos, qui vel se ipsos vendiderunt, vel ab aliis libertate exuti sunt, uti in bello fieri solet. Vel *naturalis* vocatur, quae quidem non ratione iuris actusque talis est, sed aptitudine tantum, quando quis natura magis aptus est, ut serviat, quam ut imperet, et cui non bene est, nisi aliis subdit. Ex hac vero aptitudine Dominus nullum consequitur Ius in servum, uti erudite docet DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 3. cap. 2. §. 8.* et GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 22. §. XI*

CCCLXLV.

Porro servitus vel *perfecta* est, cum quis perpetuas operas debet pro alimentis, aliisque ad vitam necessariis, vel *imperfecta* audit, quae ad breve tempus, vel sub conditione, vel ad certas operas durat. De priori conferri meretur GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 27.* Posterioris varias species recenset. DN. PVFEND. *de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 4. §. 2. vid. insuper GVIL. GROTIUS de Princ. Iur. Nat. cap. 10. §. 14*

CCCLXLVI.

Ceterum Ius Naturae praescribit certas leges, dirigentes hanc societatem, quas inter primo referri meretur loco: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, unde officia humanitatis promiscua commendat, itemque regulas, quae ad aequalitatem hominum confirmandam faciunt. Exigit autem *primo* Ius Naturae a Domino, ut servo concedat alimenta, cum alias conditio hominum peior foret ipsa bestiarum conditio. Tum etiam sum-

E e

ma

ma esset iniquitas, ea homini, cum quo socialiter vivis, velle denegare, quae tamen natura benignissima omnibus concessit hominibus. *Conf. DN. PVFEND. de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 4. §. 3.*

CCCLXLVII.

Non minus *secundo* Ius Naturae Domino tutelam servi praecipit, et curam vitae contra superioris iniuriam, vel alterius cuiusvis, nisi Magistratus, quia non solum afflicto servo Domini res agitur, sed etiam maior atque superior tenetur subvehire minori et inferiori, nisi obstet gravior aliqua ratio, aliud suadens. Taceo, quod Patri familias suam defendere familiam incumbat, sub qua omnino etiam et ipse servus continetur.

CCCLXLVIII.

Praecipit denique *tertio* Ius Naturae Domino Humanitatem et charitatem, quae aequalitatem hominum omnium pro fundamento agnoscit. Quamdiu enim servus in statu hominis manet, tamdiu ei officia quoque homini debita, denegari non possunt. Hinc colligere est, non habere Dominum Ius vitae et necis in servum. Praeterquam enim, quod hoc non ad iura privata, sed Maiestatica pertinet, etiam Societati communi repugnat, quae civè vel ope alicuius privatur. *vid. DN. PVFEND. de Iure N. et G. lib. 6. cap. 3. §. 4. itemque GROTIUS de Iure B. et P. lib. 2. cap. 5. §. 28.* Aliud tamen formandum est iudicium de Domino, qui personam Magistratus repraesentat, et vel Regis nomine venit, vel Principis, qui omnino hoc ius vitae et necis exercere potest.

CCCC.

Definit autem Ius Naturae et servis officia, quae probe observare debent. *Primo* igitur ab iis exigit *fidem et dexteritatem*, quandoquidem legitimus concludendi

di modus est, a quocunque quis afficitur beneficiis, erga illum quoque gratus esse debet, ex ratione iustitiae, cui quam maxime perfidia repugnat. Praecipit *deinde etiam obsequium*, quod in honore fundatum, quem inferiores exhibere tenentur superioribus, adeoque servi dominis, qui nunquam non et honorandi et timendi sunt. *conf. GVIL. GROTIUS de Princ. Iur. Nat. pag. 162.*

CCCC.

Ex combinatione duarum societatum minorum videlicet matrimoniali et herili, oritur *societas domestica* seu *familia*, quae definiri solet, cum plures societates minores congregantur in unam, ut sint ad minimum tres personae; colligitur hinc societatem Patriam non pertinere ad essentiam familiae, sed tantum ad integritatem eius. Officia in hac societate sunt promiscua et communia, sicut societates ipsae mixtae sunt atque communes. In familia autem imperium est penes Patrem familias. Nam qui est caput in societate nuptiali et herili, ille quoque caput est, et imperium habet in conjunctione et combinatione harum societatum.

CCCCI.

Quemadmodum vero omnis societas aliquo continetur vinculo, ita et haec suo non caret, et recte ius Patris familias dicitur, quod in duobus potissimum consistit, nempe in imperio, et possessione bonorum ac rerum familiae. Hoc ius possessorium tribus rursus absolvitur partibus, videlicet iure acquirendi, iure possidendi, et iure utendi. *Primum* necessaria ad familiam parat, sed modis honestis, et cum nullius iniuria coniunctis. *Secundum* possessionem sibi vindicat talem, quae cum officio liberalitatis et beneficentiae est coniuncta. *Tertium* denique effectus huius est, ope cuius Pater familias res



emere, vendere, alteri donare, vel testamento relinquere potest, prout ipsius visum fuerit prudentiae.

CCCCII.

Quaeritur hic non immerito, an proprietates rerum sit Iuris Naturalis praeceptivi, an permissivi? et respondetur, utriusque iuris esse, tam praeceptivi, quam permissivi, id quod non solum ex ipso patet Decalogo, in quo furtum prohibitum est, quod certe proprietatem rerum firmissime adstruit, sed etiam ex eo clarum est, quod stante tali rerum omnium communione, perpetuis rixis obnoxia foret vita humana, quae sane cum benevolentia, quam Ius naturae intendit, minime conspirant, sed e diametro adversantur. Hinc etiam rectissime inferunt Philosophi. Sine quo incolumitas vitae socialis consistere nequit, illud Iure Naturali praeceptum esse oportet. At sine proprietate rerum incolumitas vitae socialis consistere nequit. Ergo eam quoque a Iure Naturae non modo permissam, sed praeceptam insuper esse oportet.

CCCCIII.

Supereff adhuc ultima maior et perfectissima societas, quae *Civitas* nomine venit, ac definiri alias solet, quod sit multitudo hominum, ordinate in unum coetum coeuntium, ad tranquille et secure peragendam vitam. Dicitur *primo multitudo hominum*, quia ex minoribus Societatibus et familiis oritur, et componitur, et hinc quia conveniunt in ea omnium societatum iura et bona, rectissime haec societas perfectissima dicitur. Quam in rem conferri meretur eruditus *Tractatus* CONRINGII de Cive et Civitate.

CCCCIV.

*Origo* Civitatis recte a Iure Naturali deducitur, quod

quod intendit id, quod perfectissimum est. Genuinam igitur causam non sistit utilitas sola propter ferociam hominum, vel propter metum, quemadmodum HOBESIVS opinatur apud DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 7. cap. 1. §. 2.* Id quod et ipse DN. PVFEND. *l. c.* admittere videtur, itemque *de off. Hom. et Civ. lib. 2. cap. 5. §. 6. et 7.* Sed facile haec ipsa sententia ex hypothesi DN. PVFEND. refellitur, iuxta quam homo ipsi animal sociale est, cui repugnat bellum per se, unde si propter metum et ferociam, socialitas tantum causa per accidens est. Neque legitimus est concludendi modus, petit societatem homo propter metum, Ergo solum. Est enim fallacia a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Neque etiam sequitur, petit societatem homo propter metum, Ergo per se. Est enim fallacia accidentis.

CCCCV,

Porro dicitur in definitione Civitatis, quod sit *multitudo hominum ordinate coeunsum*, Hinc forma eius colligitur, quam coetus ordinatus repraesentat, iuxta naturae instinctum et rectae rationis dictamen, quod potestatem et imperium requirit, uti eleganter hoc ostendit GVIL. GROTIUS *de Princ. Iur. Nat. pag. 90.* Igitur Civitatis imperium Iuris Naturae praeceptivi est, eiusque causa Deus habetur, non consensus nudus coeuntium, qui indicium potius est et signum, quam ratio formalis, contra DN. PVFEND. *de off. H. et C. lib. 2. cap. 6. §. 6. vid. Apologia Augustanae Confessionis pag. 156.* Quod vero DN. PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 7. cap. 3. §. 1.* exactis esse ait, confundit causas externas cum internis, primarias cum secundariis seu principales cum instrumentalibus. Nec tolerari debet, quod Idem affirmat *lib. 3. cap. 2 §. 8.* actu a natura non constitui imperium, cum

cum sine veritatis iactura hoc dici non possit; unde melius DN. HORNIVS *lib. I. de Civit. cap. 4. §. 6.* sentit, civitatem opus naturae vocans, id quod verissime quoad hanc partem scil. potestatem enunciatur.

## CCCCVI.

Hinc de origine Maiestatis Civilis disquirentibus patet, non esse a populo, uti quidam impie et nefarie statuunt, sed Deum habere autorem, unde et Christus dicit ad Pilatum *Job. XIX. vers. XI non haberes potestatem in me, nisi tibi data esset a supernis. conf. Rom. XIII. vers. I.* modum vero conferendi esse mediatum, et declarationem potestatis fieri per Ius Naturae, quod tamen formam Imperii relinquit liberam, modo iubet, ut illa introducatur, quae optima est, et genio cuiusvis populi convenientissima. Recte autem a sanioribus Philosophis distinctio inter Maiestatem personalem et realem absurda ac pestilens vocatur. Cum enim prior Summum et absolutum ius habeat in omnes res et personas civitatis, certe simul in posteriori tale ius non residebit, neque per sanam rationem esse poterit, quae duo summa concipere nequit in una eademque civitate. Nec obstat status Reipublicae mixtus, in quo quidem duplex videtur esse Maiestas, sed revera tamen una tantum est, quae in suas divisa partes, uti in corpore una datur anima, sed tamen illa facultatibus constat divisis.

## CCCCVII.

*Finis* Civitatis est, ut bene beateque sive tranquille et secure vivamus, unde, uti supra iam dictum fuit, metus aut indigentia causa prima et praecipua non est, sed tantum causam per accidens sistit et apparentem. Alio nomine finis Civitatis felicitas etiam dici solet, quae in duobus potissimum consistit, et honestate ac commoditate

tate

rate vitae absolvitur. Honestatem cum utilitate civis bonus coniungit: Commoditas vero vitae sufficientiam rerum necessariorum respicit, quam eximie explicat B. BOECLERVS in *Pol. pag. 83.*

CCCCVIII.

Præcipit autem Ius Naturæ, ut imperantes bono consulant publico, curamque gerant sedulam, ne res publica aliquid detrimenti accipiat. vid. DN. PVFEND. *de off. H. et C. lib. 2. cap. XI. §. XI. et seq.* Hinc illorum facultas atque imperium colligitur in cives, simul in territorium, imo etiam in universam societatem. Quæ varia agendi facultas alias nomine Iurium Maiestatis venire solet, de quibus agunt Politici, ad quos brevîtatis ergo B. L. remittimus. Egregia autem sunt quæ habet *Illustris DN. BOECLERVS in Inst. Polit.*

CCCCIX.

Præcipit insuper Ius Naturæ, ut potestas imperantium habeatur sancta, quod præceptum copiose æque ac erudite tractatum cernere licet apud GROTIUM et B. DN. BOECLERVM *de Sanctitate et inviolabilitate Principis.* Sancta autem salutatur, quia est Divina, uti supra fuit ostensum, ex quo facile patet, quid sentiendum sit de tyrannicidio, nimirum tale committendum non esse, et licet se ut hostem gerat publicum, nihil tamen contra illum licet, nisi defensio, et quidem tantum in statu mixto, non vero in statu puro, in quo nihil licet, ne quidem defensio. Præcipit denique Ius Naturæ subditis, ut exhibeant obsequium et reverentiam imperantibus, in omnibus, quæ non sunt contra Deum. *vid. GVIL. GROTIUS de Princ. Iur. Nat. pag. 98. §. 9. et pag. 102. §. 2.* Hæc vero obedientia extenditur in personam, eiusque vitam unde Ius vitæ et necis, itemque res, hinc Ius territoria-

le

le, et in reliqua subditorum bona. Conferri meretur DN.  
 PVFEND. *de Iure N. et G. lib. 7. cap. 8. §. 5.*

CCCCX.

Ceterum Civitas consideranda est tanquam corpus vi-  
 vum, mortale. Quemadmodum igitur homo manet homo,  
 etiamsi sit senex, vel aeger, nec desinit esse homo, donec mo-  
 riatur. Ita quoque Respublica, quamdiu sua gaudet anima, quae  
 imperii nomine venit, manet civitas, amisso vero imperio,  
 ea quoque civiliter moritur et desinit esse civitas, sicut subla-  
 ta anima homo tanquam totum compositum tollitur, teste  
 GROTIUS *de Iure B. et P. lib. 2. cap. 9. §. 4. 5. et 6.* Non vero  
 tollitur Civitas, si alia in eam introducatur - imperii forma,  
 quandoquidem talis mutatio tantum accidentaliter est, ipsum  
 vero imperium manet. Neque etiam tollitur mutatione loci,  
 cum ab hac ad sublationem imperii non V. C. sed a sublatione  
 imperii ad sublationem ipsius societatis V. C. atque talis est  
 ex parte totius, ex parte partis vero desinit civis esse per di-  
 scessum, et si vel consensu expresso aut tacito civitatis discedat, et alibi  
 sedem fortunarum figat, vel si ob delictum in exilium eiciatur, et iure  
 civitatis privetur, vel si hostica vi oppressus in victoris ditionem  
 concedere adigatur. Sed hic uti eruditi Libri DN. PVFEN-  
 DORFII *de off. Hom. et Civ.* ita quoque huius qualiscunque no-  
 stri laboris Academici, de Iure Naturali suscepti, in quo  
 conscribendo breves nos esse oportuit, actis simul  
 Aeterno Numini gratii pro largiter con-  
 cessis viribus esto FINIS.



INDEX



# INDEX I. AVCTORVM

**A**lberti  
 Ambrosius  
 Aristippus  
 Aristoteles  
 Arnifaeus  
 Augustinus  
 Bebelius  
 Beckmannus  
 Bellarminus  
 Boeclerus  
 Boxhornius  
 Budaeus  
 Carneades  
 Cartesius  
 Chryfippus  
 Cicero  
 Clem: Alexandr:  
 Comberlandus  
 Conringius  
 Cunaeus  
 Dannhauerus  
 Demosthenes  
 Durandus  
 Euripides  
 Gefenius  
 Golius  
 Le Grand

Grotius Guil.  
 Grotius Hugo  
 Hartschmidius  
 Henningerus  
 Herodotus  
 Hertius  
 Hieronymus  
 Hobbefius  
 Homerus  
 Horneius  
 Hornijus  
 Iuftinus Martyr  
 Iuftinus  
 Khunius  
 Knuz  
 Lactantius  
 Lipfius  
 Melanchton  
 Molinaeus  
 Mufaeus  
 Neumannus  
 Occamus  
 Ofiander  
 Ovidius  
 Pfeffingerus  
 Philippus a Trin.  
 Plato  
 Plutarchus

Pythagoras  
 Pufendorfius  
 Rondinus  
 Rhaetorfortus  
 Schallerus  
 Scharrock  
 Scherzerus  
 Scherzius  
 Schmidius  
 Schvvartius  
 Scotus  
 Seldenus  
 Statius  
 Strimefius  
 Suarezius  
 Theodoretus  
 Thomas  
 VVagnerus  
 Valerius Max.  
 De Valle  
 Vaninus  
 Vasquezius  
 Va:quius  
 Velthemius  
 VVernherus  
 VVinstrupius  
 Zentgravius  
 Zieglerus

F f

IN-

# INDEX II. QVAESTIONVM

- An sit, vel detur Ius Naturae?* §. 2
- An detur Ius Naturae, etiam si daretur, quod sine summo Scelere dari nequit, quod non sit Deus?* §. 16
- An Scholasticorum usus sit in Iure Nat.* §. 26
- An Philosophicam constituat Doctrinam Ius Naturae?* §. 32.
- Quid sit Ius Naturae?* §. 47.
- Quis sit finis Iuris Naturae?* §. 58.
- An finis ultimus internus Iuris Nat. sit conscientiae tranquillitas?* §. 64
- An finis Iuris Nat. intermedius recte exercitium honesti seu assimilatio cum Deo dicatur?* §. 66
- In quo haec assimilatio consistat.* §. 79
- Quodnam sit subiectum Iuris Naturae?* §. 85
- An homo iuxta statum institutionis, an destitutionis considerandus sit.* §. 89
- Quot sint facultates hominis, quatenus ut subiectum Iuris Nat. consideratur?* §. 96.
- Quid sit intellectus?* §. 101
- An sit, vel detur lumen intellectus?* §. 102
- Quid sit hoc lumen intellectus?* §. 113.
- Quid sit iudicium?* §. 125
- An intellectus habeat aliquod imperium?* §. 131
- Quotuplex sit iudicium?* §. 133.
- An detur conscientia probabili?* §. 136
- Quid sit voluntas?* §. 148
- An sit voluntas libera?* §. 150
- Quid sit voluntatis libertas?* §. 164
- Quotuplex sit voluntatis libertas?* §. 171.
- Quodnam sit obiectum voluntatis?* §. 173
- Vtrum actio mixta propius accedat ad Spontaneam, an vero invitam?* §. 191
- Quodnam sit obiectum Iuris Naturae?* §. 195
- Quid sit actio moralis?* §. 204.
- Quaenam sit forma moralis actus?* §. 206
- An valor sit conceptus antecedenter tali intellectui?* §. 213
- Qua-*

*Quae sit officia specialis a-*  
*tionis moralis? §. 265.*  
*An Religiois fundamentum indire-*  
*ctum sit socialitas? §. 261.*  
*An homo sibi aliquid debeat? §. 262.*  
*Cur sibi homo aliquid debeat? §. 264.*  
*Quot sibi officia homo debeat? §. 266.*  
*An liceat sese vitae periculo exponere*  
*propter alios? §. 271.*  
*An liceat se ipsum interficere? §. 272.*  
*An liceat alterum interficere quan-*  
*do uterque est privatus? §. 273.*  
*An liceat aliquem interficere pudici-*  
*tiae conservandae causa? §. 274.*  
*An liceat aliquem interficere ob con-*  
*sumeliam vel acceptam aliam? §. 275.*  
*An liceat aliquem interficere propter*  
*res? §. 276.*  
*An dentur officia erga alios? §. 278.*  
*Cur sunt eiusmodi officia erga alios?*  
*§. 279.*  
*Quaenam sint officia erga alios? §. 280.*  
*An is, qui ingratus est, alteri iniu-*  
*riam faciat? §. 86.*  
*An pacta per metum expressa obli-*  
*gens? §. 290.*  
*An liceat uti reservationibus menta-*  
*libus? §. 292.*  
*An obligent iuramenta per falsos*  
*Deos? §. 299.*  
*An obligent iuramentum a metu extor-*  
*ta? §. 300.*  
*Vnde sit Dominium? §. 302.*  
*Quid sit dominium? §. 310.*  
*Quid sit pretium rerum? §. 313.*  
*Quosuplex sit pretium rerum? §. 315.*  
*Quid sit contractus? §. 316.*  
*Quosuplex sit contractus? §. 317.*

*An dentur officia, quae bono homi-*  
*ni debet in morte? §. 331.*  
*An omnibus sepultura debeat? §. 332.*  
*Qualia sint ista officia, quae mor-*  
*tuis debentur? §. 333.*  
*An sint Iuris Nat. principia? §. 334.*  
*Quid sint principia Iuris Nat? §. 344.*  
*Quaenam sint principia Iuris N. §. 345.*  
*An sit ordo inter homines? §. 363.*  
*Qualis sit ordo inter homines? §. 364.*  
*An talis ordo sit Iur. Nat. praecepti-*  
*vi? §. 365.*  
*An nocens ab aequo nocente puniri*  
*possit? §. 367.*  
*Cui Disciplinae proprie conveniat a-*  
*gere de Societate conjugali? §. 375.*  
*An liberi maiora Parentibus possint*  
*dare beneficia, quam ab illis acce-*  
*perunt? §. 389.*  
*An proprietates rerum sit Iuris Nat.*  
*praeceptivi, an permissivi? §. 402.*

### INDEX III RERVM

*Actiones hominum et brutorum dif-*  
*ferunt §. 162.*  
*Actionum datur contingencia §. 161.*  
*Actio moralis definitur §. 204. expli-*  
*catur, ibid. consideratur vel mate-*  
*rialiter vel formaliter §. 205. et*  
*207. eius obiectum vel personale*  
*vel reale §. 215. Fundamentum di-*  
*visionis huius, ibid.*  
*Actus intrinseci boni et mali dantur.*  
*§. 4. et 19.*  
*Aequalitas consideratur vel physice*  
*vel moraliter §. 254.*  
*Alimenta Parentes debent liberis*  
*§. 387.*  
*Ff 2*

*Amor*



**Amor sui ipsius ad finem huius N. spe-**  
**Etat §. 80.**

**Assimilatio vel spiritualis vel natu-**  
**ratis. §. 67 differt ab exaequatio-**  
**ne §. 68. vel omnimoda vel qua-**  
**liscumque §. 69. vel substantialis**  
**vel accidentalis. §. 70 differt ab**  
**immutacione §. 73**

**Arbei Theoretici dantur §. 21. nega-**  
**tum eunt Dei existentiam multis**  
**modis. §. 239 et seqq.**

**Civis multis modis esse definit. §. 410**  
**Civitas quid §. 403. origo civitatis §.**  
**404 eius forma §. 405. finis. §.**  
**407. non solvitur mutacione loci.**  
**§. 410**

**Commodatum quid §. 321. vel rerum**  
**mobilem est vel immobilem, vel**  
**corporalium vel incorporalium §.**  
**322**

**Conscientia vel recta §. 134. contra**  
**quam nihil agendum. §. 135 vel**  
**probabilis. §. 136 et 139 quae non**  
**datur ratione obiecti vel inris §.**  
**137. et 138. Sed ratione facti. §. 139.**  
**ubi e duabus sententiis probabili-**  
**bus tior est eligenda §. 140. vel**  
**dubia §. 141. vel practice vel theo-**  
**retice ibid. qua conscientia dubia**  
**nihil est agendum §. 142. vel scrup-**  
**pulosa. §. 143. ubi scrupulus vel**  
**exilis vel magnus. §. 144. vel de-**  
**nique erronea. §. 145. ubi error est**  
**vel ex ignorantia vincibili vel in-**  
**vincibili ibid. et seqq.**

**Consensus quid sit. §. 183**

**Contractus quid §. 316. sunt vel no-**

**minati vel innominati. §. 317. vel**  
**benefici vel onerosi. §. 318. illorum**  
**tres numerantur §. 319. onerosi qui**  
**§. 324 Contractus societatis quid**  
**§. 328. aleatorius quid §. 329 est**  
**vel publicus vel privatus. ibid.**  
**Definico vel nominalis, vel realis.**  
**§. 42**

**Dei existentia probatur a testimo-**  
**nio Aristotelis. §. 217. mens huma-**  
**na. §. 218. aspectu rerum crea-**  
**tarum §. 219. consideracione mate-**  
**riae. §. 220. et 221. forma. §. 222**  
**mundanorum operum facie. §. 223**  
**mundi partibus. §. 224 illarum**  
**usu §. 225 et 226. natura operan-**  
**te §. 227. motu 228. produccione.**  
**§. 229. permanentiae considera-**  
**tionis §. 230. homine §. 231. corporis**  
**humani harmonia §. 232. unione**  
**rationalis animae cum corpore**  
**organico. §. 233. idea Dei §. 234.**  
**timore conscientis innato §. 236**  
**universali populorum testimonio.**  
**§. 237. negant hanc Dei existen-**  
**tiam variis argumentis Arbet**  
**§. 239. et seqq. Dei unitas proba-**  
**tur §. 247. Spiritualitas §. 248**  
**invisibilitas §. 249. Veritas et in-**  
**fitia §. 250. Bonitas. 252. Omni-**  
**potentia §. 253. misericordia. §.**  
**255. Providentia §. 256. Omnisci-**  
**entia. §. 257. aeternitas. §. 258.**

**Deus naturaliter cognoscibilis est.**  
**§. 259 non sufficit ad salutem §.**  
**260.**

**Depositum quid §. 323 vel publicum**

vel privatum, vel simplex, hoc-  
que vel voluntarium vel coactum,  
vel compositum est ibid.

Dominium vel universale vel specit-  
le §. 303 vel parum vel mixtum  
§. 304 vel plenum vel diminutum  
ibid. vel plenum eminens vel vul-  
gare, ibid. vel diminutum quoad  
exercitium et quoad obiectum §.  
305. vel directum vel indirectum  
ibid. Originem habet a iure N.  
praeceptivo §. 306. prob. §§. seqq.  
eius definitio §. 310. explicatur ibid.  
Modi acquirendi Domini sunt vel  
originarii vel derivativi, illi vel  
simpliciter tales vel secundum  
quid §. 311. officia circa dominium  
quae §. 312.

Donatio vel simplex est vel reciproca  
§. 311.

Electio quid sit §. 184.

Empio venditio quid §. 325. vel per-  
fecta est vel imperfecta, haec vel  
absoluta vel conditionata ibid.

Expositio infantum iuri N. repu-  
gnat. §. 387

Fidei iussio quid §. 330

Finis vel ultimus vel intermedius  
§. 59. vel internus vel externus. §.  
60. vel cuius vel cui §. 61. in genere  
quid sit §. 180

Fructus sunt vel naturales vel civiles  
§. 311.

Fructio quid sit. §. 182.

Homo nequis esse exters §. 10. confide-  
ratur vel naturaliter vel civiliter.  
§. 12. eius, ut subiecti iuri N. fa-

cultates suos intellectus et volun-  
tas, quae capaces obligationis.  
§. 98

Honestorum et turpium discrimen  
non in iure hominum arbitrio  
fundatum est. §. 23. Honestum et  
honesti exercitium differunt. §. 72.  
hoc iuris N. finis dici potest. §.  
76. Ignorantia vel vincibilis  
vel invincibilis, haec vel est in se  
talitatis, vel etiam in sua causa. §. 148  
Imperantium potestas sancta haberi  
debet. §. 409 Imperium quid §.  
366 sumitur varie §. 131

Impositio non est principium iuris  
N. §. 348

Imputativitas non est forma r<sup>u</sup> mo-  
ralis §. 210

Indifferens quid sit 176. non  
cadit sub Ius Nat. §. 317.

Instinctus homini naturales regu-  
lam iuris N. non faciunt. §. 54

Intellectus quid §. 101. eius obiectum  
vel naturale vel supernaturale  
§. 103. eius lumen datur circa ob-  
iectum naturale. §. 108. quod sa-  
men non est perfectum ibid. non  
habet imperium proprio tale §. 132.

Intencio quid sit. §. 181

Invitum quid. §. 186. sumitur vel  
strictum vel late §. 187. vel improprie  
vel proprie §. 188. vel in se  
tale est, vel in sua causa §. 189. vel  
perfecte vel imperfecte tale §. 190.  
doctrinae huius utilitas §. 192.

Iudicium vel antecedens vel. conse-  
quens

F f 3

- quens. 126. vel simplex vel reflexum. 127 vel absolutum vel conditionatum. 128. in genere quid 130.
- Iuramentum quid.** 298. obligat. 301
- Iuris capacia non sunt bruta.** 7
- Iuris N. existentia probatur ab existentia subiecti** 10. sine tr. principis nobiscum natis, et ex sensu metuque Numinis 12. ex peculiari obiecto 13.
- Iuris N. hostis Carneades est.** 14. refutatur eius sententia 15
- Iuris N. praesidia sunt vel sacra** 24. vel profana ut canones conciliorum. 25. Patres Ecclesiae antiqui 26. Iure consulti. 27. Philosophi 28. Historici 29. Poetae et Oratores. 30
- Iuris N. haereticus Hobbesus fuit.** 31. eius origo non est naturalis hominum ferocia. ibid.
- Iuris N. antiquitas probatur.** 35. utilitas in genere 36. in specie in Theologia 37. in Iure 38. in Medicina 39. in Philosophia 40
- Iuris N. paronymia** 43. homonymia 44. synonymia 45
- Iuris N. obiectum vel informationis vel tractationis.** 51
- Iuris N. principium aliud est essendi aliud cognoscendi** 53.
- Iuris N. definitio, Genus, differentia, causa efficiens, effectus et finis** 55
- Iuris N. dicitur aliquid vel absolute vel secundum quid** 56.
- Iuris N. divisio** 57.
- Iuris N. tractatio vel proem. vel essent.** 1. et 58
- Iuris N. finis ultimus externus est salus communis omnium hominum.** 62. non assimilatio cum Deo 63. internus vero est conscientiae tranquillitas. 65. intermedius exercitium honesti 74. intendit socialitatem. 81. sed haec non est finis primarius et adaequatus. 82.
- Iuris N. subiectum differt ab obiecto.** 86. et 194. vel informationis vel considerationis 87. vel rationale vel irrationale. 88. vel in statu institutionis consideratur, vel in statu destitutionis 89. differt a principia. 90.
- Iuris N. subiectum informationis est homo in statu destitutionis.** 91.
- Iuris N. doctrina non est idealis sed realis** 95.
- Iuris N. obiectum** 193. est actio moralis, 199. probatur. seqq.
- Iuris N. principia dantur** 340. probatur. seqq. quid sint. 344. non opinio. 345. probatur. 346. non socialitas. 347. probatur ibid. non imposio. 348. probatur ibid. non Lex civilis. 349. probatur ibid. non Lex naturae. 350. probatur ibid. non voluntas divina. 351. probatur ibid. sed natura humana rationalis socialis. 352. ipsum quaeque obiectum. 353. finis. 355. circumstantiae morales. et essentia-

les

- les. 358. et consensus gentium 359.*  
*Iuris N. attributa quae. 360 et seqq.*  
*Ius N. distinguitur a natura 3. Le-*  
*ge N. 4. et. 48. Iure Gentium.*  
*5. Pacti et consilio 6. Iure impro-*  
*prio dicto 7. usu iuris. 8.*  
*Ius N. datur sub hypothese Grotiana.*  
*18.*  
*Ius N. vel antecedentur vel consequen-*  
*ter spectatur. 22.*  
*Ius N. methodo Analytica tractari*  
*debet. 41*  
*Ius N. immutabile 50. 138. et 361*  
*Ius Dei in homines ex potentia sola*  
*deduci non debet. 254*  
*Begale et morale differunt. 19. et 20.*  
*Lex non est forma vñ moralis. 209*  
*Lex civilis non est principium iuris*  
*N. 349. neque Lex N. 350.*  
*Liberorum officia erga Parentes*  
*quae 389. et seqq. iura in bono Pa-*  
*rentum. 392.*  
*Libertas varie distinguitur 190. di-*  
*stinctiones illustrantur in seqq.*  
*difert a spontaneitate. 165. alia*  
*est a necessitate. Et alia a con-*  
*ditione. 167. alia motiois et alia*  
*indifferentiae. 168. alia contra-*  
*rietatis et alia contradictionis,*  
*differuntque inter se 171. non est*  
*forma vñ moralis. 207.*  
*Locatio conductio quid 326. est vel*  
*generalis, vel specialis. ibid.*  
*Lumen intellectus datur circa obie-*  
*ctum naturale. 108. Lumen rectum*  
*probat. 109. et seqq. quod ta-*  
*men non asseritur perfectum. 112.*
- est vel potentiale vel habituale. a-*  
*ctuale. 116. vel transiens vel ha-*  
*bituale 117. vel acquisitum vel con-*  
*genitum. 118. vel speculativum*  
*vel practicum. 119.*  
*Luminis vis vel cognitiva vel diudi-*  
*cativa 104. vel perfecta vel imper-*  
*fecta 105. perfecta vel Philosophi-*  
*ce vel Theologica 106. vel perfe-*  
*cta vel recta. 107.*  
*Luminis Practici definitio. 120 expli-*  
*casur. 121*  
*Majestatis civilis origo non est a po-*  
*pulo. 406. male distinguitur in*  
*personalem et realem. ibid.*  
*Mandatum quid. 320 vel absolutum*  
*vel hypotheticum. ibid.*  
*Matrimonium inter Parentes et li-*  
*beros cur prohibitum. 377.*  
*Media quid sint. 183.*  
*Metus velet verus vel fictus, vel in-*  
*ste vel iniuste incensus. 289.*  
*Morale et Legale differunt. 19. et*  
*20.*  
*Moralitatis fons et origo quae?*  
*23.*  
*Moralium datur certitudo. 130.*  
*Morale naturale quid et positivum.*  
*209. eius forma in quo consistit.*  
*211. scil. in certo valore, probatur*  
*hoc. 212.*  
*Mandus ab aeterno esse nequit.*  
*239.*  
*Mutuum quid. 327. est vel gratu-*  
*itum, vel non gratuitum. ibid.*  
*Natura multis modis dicitur. 46.*  
*Obis-*

**Obiectum multipliciter sumitur** 195 et seqq. **Obiectum Iuris N. proprium et totale est actio moralis** 199. **Obligationis capax est solus homo** 91 et 92. quae capacitas sese non extendit ad spirituatia ibid. **Officium quid.** 216. tripl. generis ibid. **sibi debet homo.** 262. **fundamentum est ordinatus sui ipsius amor.** 265. **sunt vel animi vel corporis.** vel totius hominis. 266. **officia erga alios dantur.** 278. **sunt varia** 281. et seqq. **Officia etiam in morte homo homini debet.** 331. **Opinio non est principium Iuris N.** 345. **Ordo inter homines datur.** 363. **Est Iuris N. praecipui.** 365. **Parentum potestas in liberos probatur** 383. **subiectum potestatis humanus.** 384. **Patria iura in liberos secundum tempora distinguuntur.** 385. **officia in liberos.** 386. **Poenam quid.** 367. **eius obiectum duplex** 368. **Finis triplex ibid.** **Polygamia a Iure N. prohibita.** 379. **Pretium rerum quid.** 313. **vel vulgare est vel eminent.** 315. **Principium differt a causa.** 335. **varie sumitur** 336. **Promissio est vel perfecta vel imperfecta** 288. **Proprietas rerum datur** 307. **est Iuris N. praecipui** 308. et 402. **Religione naturali nullus salvari potest.** 34. **Reservationes duplicis generis sunt** 292. **talibus non licet uti** 295. **Sepultura hominibus debetur.** etiam hostibus caesis. 332. **conueniens est**

**humanitati** 333. **Sermo est signum animi** 296. **dupliciter accipitur.** 297. **Servus quid** 393. **sunt variis modis** 394. **alia seruus legalis alia naturalis ibid.** **vel perfecta vel imperfecta.** 395. **Servi tutelam Ius N. domino commendat.** 397. **item humanitatem et charitatem** 398. **in seruum ius vitae et necis dominus non habet ibid.** **serui officia quae.** 399. **Societas quid** 370. **eius animatus est ibid.** **materia homo** 371. **causa efficiens non indigentia humana ibid.** **forma** 373. **finis ibid.** **eius diuisio** 374. **Societas matrimonialis quid** 376. **Societas paterna quid** 382. **Societas herilis quid** 393. **eius leges** 396. **Societas domestica quid sui** 400. **huius vinculum ius est** 401. **Sociale animal homo est** 371. **Socialitas non est finis Iuris N. primarius neque omnia officia ex ea deduci possunt.** 82. **non est Religionis fundamentum indirectum.** 201. **non est principium Iuris N.** 347. **Solitaria vita naturae aduersa.** 372. **Spontaneitas differt a libertate.** 165. **eius diuisio** 166. **Subditorum officia erga imperantes quae** 369. **Tyrannicidium non est licitum.** 309. **Valor est forma moralis.** 211. **antececedenter sese habet ad intellectum.** 215. **Voluntas ex se coeca est.** 147. **quid sit** 148. **eius libertas.** 158. **obiectum** 175.

Errata Typ. quae per festinationem irreperunt, B. L. corriget.